

Hülsemann, Heinrich Georg

Observationes ad statuta Stadensia de anno MCCLXXIX.

Gottingae 1820

4 J.germ. 83 k

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10509797-3

⁴⁰
J. germ.

85

R

3. germ. 83 k

Hülsemann

<36623615930017

<36623615930017

Bayer. Staatsbibliothek

S

7
40 I. germ. 83^h De V
DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICO - JURIDICA

CONTINENS

OBSERVATIONES

AD

STATUTA STADENSIA

DE ANNO MCCLXXIX.

QUAM

ILLUSTRIS JURECONSULTORUM ORDINIS
AUCTORITATE ET CONSENSU

PRO SUMMIS

IN UTROQUE JURE HONORIBUS

RITE CONSEQUENDIS

PROPOSDIT

AUCTOR

HENRICUS GEORGIUS HÜLSEMANN

STADENSIS.

GOTTINGAE DIE XII. MAJ. MDCCCXX.

GOTTINGAE,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI RÖWER.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Bayerische
Staatsbibliothek
München

PROOEMIUM
DE INSTITUTIONE RATIONE.

Qui de juris Germanici praestantia et elegantia dubitent non pauci sunt; alii qui id plane ignorant, alii juris Romani praeceptis enutriti, quibus praestare videtur, quod magis excultum est. Is tamen minor juri Germanico habitus favor *), incitare potius videtur ad colendum, quod injuria desertum a plurimis relictum est, quam detertere a juris patrii studio; ejus partem aliquam tractandi consilium cepi, fontium quidem ambitu ex quibus haurienda est, exiguam, gravitate vero materiae, ut exploretur omnino dignam. Quum enim jura, quae secundum statuta urbis patriae Stadensis conjugibus in bona utriusque intercedunt, ad communionis bonorum inter conjuges institutum vulgo referri viderem, exactam autem statuti explicationem, quatenus ad id negotii spectat, desiderarem, apta ejusmodi dissertationi inaugurali mihi visa est explanatio. Quae autem, quum ab origine statuti Stadensis proficisci

*) Cfr. illustris EICHHORN Tractat: über das geschichtliche Studium des Deutschen Rechts, vid. Zeitschrift für geschichtl. Rechtswissenschaft. T. I. coll. 1. pag. 124-146.

proficisci debeat, ut illud ipsum recte intelligamus, praemittenda erat brevis urbis et legis historia; eam *parte* dissertationis *priori quatuor* complexus sum capitibus, quae inscripsi:

- CAP. I. De antiquis regionis Stadensis dominis. §. 1-11.
 CAP. II. De urbis Stadensis origine ejusque antiquitate. §. 12-17.
 CAP. III. De singularibus privilegiis, quibus Imperatores, Duces et Archiepiscopi Stadam donaverunt, ad annum 1279 usque. §. 18-51.
 CAP. IV. De statutis urbis Stadensis anno 1279 conscriptis. §. 32-45.

Excipit haec *pars altera*, quam in *quinque* capita distinxi, ita insignita:

- CAP. I. De communione honorum in genere ejusque origine. §. 44-48.
 CAP. II. De jure conjugum durante matrimonio ex jure Stadensi. §. 49-56.
 CAP. III. De jure et successione conjugum improlium matrimonio finito. §. 57-60.
 CAP. IV. De jure et successione conjugum, si liberi exstent. §. 61-67.
 CAP. V. De aere alieno et testamentaria dispositione conjugum. §. 68-73.

PARS PRIOR.
HISTORIA STATUTORUM STADENSIUM.

HISTORIA STATUORUM STADLENSIUM.
PARS PRIOR.

HISTORIA
STATUTORUM STADENSIIUM.

CAPUT PRIMUM.

De antiquis regionis Stadensis dominis.

§. I.

Caroli Magni aevo, Comites nec honorem, nec provincias in heredes transmittere potuerunt, nisi arbitrio regis; quae rerum facies, sensim eo mutata est, ut quibus comitatus administrandus contigisset, eum, invalescente saeculo decimo hereditaria successione, illos posteris proprium reliquisse observemus ¹⁾. Haec et Comitum Stadensium fortuna fuit; nam in illo comitatu a Henrico I. Imperatore, filius semper patri successit, vel frater fratri, donec familia extinguere-

¹⁾ Cfr. CARL FRIEDRICH EICHHORN deutsche Staats- und Rechts-Geschichte. Edit. II. T. II. §. 222. §. 300.

stingueretur. Attamen eorum historia nobis non omnino patet ex annalibus saepissime incertis, pauca tantum adnotantibus; recentiores multa narrant, de quibus fontes silent. Non exiguus eorum numerus est, qui circa hanc rem aliquid in medium protulerunt; exposuere de ea MUSHARD ²⁾, GEBHARDI ³⁾, MEYER ⁴⁾, LAPPENBERG ⁵⁾, KERSTENS ⁶⁾, SCHEID ⁷⁾, SCHLICHTHORST ⁸⁾, ROTH ⁹⁾, nec ab ullo historiae Germaniae universalis scriptore plane praetermissa est. Quisque eorum aliquid ex ingenio adjecit, conjecturis temere dimicans. Ne eandem censuram incurrerem, plane

secu-

- ²⁾ Monumenta nobilitatis antiquae in Ducatib. Brem. et Verd. p. 1 - 17.
- ³⁾ Aquilonales Marchiones, electores Brandenb. p. 36 sq.
- ⁴⁾ Unmaßgeblicher Entwurf der Genealogie der Stadeschen Grafen und Markgrafen. Vid. Herzogth. Bremen und Verden T. I. N. 2.
- ⁵⁾ Grundriss einer Geschichte des Herzogth. Bremen. Vid. Herzogth. Brem. u. Verd. T. II. N. 5. p. 273.
- ⁶⁾ Auszug aus den Nachrichten von der Stadt Stade. Vid. Herzogthümer Brem. u. Verd. T. VI. N. 4. p. 332. et omnes auctores, qui de hac re scripserunt adnotavit l. c.
- ⁷⁾ Histor. Nachrichten v. d. Grafen u. Markgrafen v. Stade. Vid. Hannov. nützl. Sammlungen de anno 1757. coll. 68 - 72.
- ⁸⁾ Historische Nachrichten v. d. Grafen u. Markgrafen v. Stade. Vid. Beyträge zur Geschichte v. Brem. und Verden. T. II. p. 1 - 35.
- ⁹⁾ Res Stadenses sive antiq. Stadae facies, ab ultima illius memoria ad Hartwicum usque. pag. 15 sq.

secutus sum DITMARUM ¹⁰⁾ MERSEBURGENSEM, familiae Comitum consanguineum, ADAMUM BREMENSEM ¹¹⁾, SAXONEM Chronographum ¹²⁾ et ALBERTUM STADENSEM ¹³⁾.

§. 2.

DITMARUS MERSEBURGENSIS omnium Chronographorum primus est, qui Comites Stadenses memoriae prodat. In chronico nobis narrat ¹⁴⁾, Lotharium proavum suum fuisse, qui apud Luncin a Redariis Henrico I. regnante, interfectus sit; attamen non contendo cum caeteris, illum jam comitatum Stadensem acquisivisse. Porro ¹⁵⁾ avum suum, Comitem Henricum Imperatoris cognatum nominat; tres filios eum genuisse, Comites in HERSFELD et STETHU ¹⁶⁾ et CUNIGUNDAM filiam, DITMARI matrem. Narrat porro ¹⁷⁾, avunculos suos, illius Henrici filios, Henricum, Udo-

¹⁰⁾ Ejus chronici libri octo ad ann. 1018. usque; vid. LEIBNITII Script. rer. Brunsvic. T. I.

¹¹⁾ Ejus Historia eccles. usque ad ann. 1076.

¹²⁾ Ejus chronicon, usque ad ann. 1188. vid. LEIBNITII Accessiones historicae.

¹³⁾ Ejus Historiographia usque ad ann. 1256. cura. R. REINECCII. Witteb. 1608.

¹⁴⁾ pag. 526. l. c.

¹⁵⁾ pag. 537. l. c.

¹⁶⁾ Id est Stada, quae variis nominibus occurrit, appellatur mox urbs Stadana, mox Stadensis, mox Stadium.

¹⁷⁾ DITMARUS l. c. pag. 552. Cfr. ALB. STAD. pag. 111 b. ADAM. BREM. L. II. cap. 22.

Udonem et Sigefridum ab Ascomannis captivos abductos fuisse anno 994; Udonem interfectum, Henricum liberatum, quum Sigefridum filium suum obsidem tradidisset; Sigefridum I. vero Ditmari avunculum tertium, tunc temporis improlem in captivitate mansisse, mox tamen de hostium custodia evasum. Hostes fuga ejus succensos, Sigefridum II. Henrici filium cum caeteris captivis, naribus, auribus et manibus obtruncasse.

§. 3.

Ille Henricus, cujus filium Sigefridum piratae naribus obtruncaverant, secundus est Stadensium Comitum; aedificavit Hersfeldae monasterium, in eo loco, quo pater ejus Henricus I. castrum posuerat et mortuus est anno 1016¹⁸⁾. Sigefrido fratri ejus¹⁹⁾, comitatus tum commendatus est. Successit ei²⁰⁾ anno 1034 filius ejus Ludigerus Udo, qui exstinctus est anno 1057; GEBHARDI²¹⁾ primum fuisse Marchionem contendit, sed Annalista Saxo narrat²²⁾ filium ejus Udonem primum fuisse Comitum Stadensium, qui post mortem Wilhelmi, marchiam aquilonalem acquisiverit. Udone, Ludigeri Udonis filio comitatum gubernante, Henricus IV. Imperator, comitatum Stadensem in proprium dedit ecclesiae
 Archi-

¹⁸⁾ ALB. STAD. pag. 112b. ADAM. BREM. Lib. II. c. 31. DITMARUS l. c. p. 411.

¹⁹⁾ DITMARUS l. c. p. 413.

²⁰⁾ Annalista Saxo ad annum 1056. Cfr. ad annum 1034.

²¹⁾ Marchiones Aquilon. pag. 49.

²²⁾ Annal. Sax. cfr. ad ann. 1056 et 1034.

Archiepiscopi Hamburgensis ²³⁾ anno 1062. Udo Marchio obiit anno 1082 ²⁴⁾.

§. 4.

Quatuor hic reliquit filios, Henricum Longum, Ludigerum Udonem II., Rudolphum et Sigefridum Canonicum ²⁵⁾. Patri successit Henricus, qui uxorem habuit Eupracciam filiam regis Russiae, quam postea duxit Henricus Imperator; mortuus est anno 1087 sine liberis ²⁶⁾. Successit ei Ludigerus Udo II. frater ejus ²⁷⁾, anno vero 1095 comitatum Stadensem Friderico cuidam ²⁸⁾ tradidit administrandum; eam ob causam crediderim, quia Marchio non semper Stadae praesens esse potuit; obiit duodecim annis post Rosenfeldae, id est Harsfeldae, antiquo Comitum Stadensium domicilio ²⁹⁾. Post mortem ejus per octo annos marchia commissa est Rudolpho fratri ejus, ut nutriret Henricum
filium

²³⁾ Diplomatarium Stadense. Vid. Herzogth. Brem. u. Verd. T. VI. N. 2. ALB. STAD. p. 164.

²⁴⁾ Chronographus Saxo. l. c. ad ann. 1082. p. 264. ALB. STAD. pag. 164a.

²⁵⁾ ALB. STAD. eod.

²⁶⁾ ALB. STAD. p. 164b. Chronogr. Sax. p. 270. Annal. Sax. ad ann. 1082.

²⁷⁾ Annal. Sax. ad ann. 1087.

²⁸⁾ ALB. STAD. p. 153b. Ann. Sax. l. c.

²⁹⁾ Chronogr. Sax. p. 281.

filium Ludigeri Udonis II. ³⁰⁾. Has narrationes a multis quidem in dubium vocatas non plane falsas crediderim, quia fieri potuit, ut comitatus administratio Friderico, marchiae vero Rudolpho concessa sit. Eam ob causam Rudolphus Friderico et Imperatori inimicissimus fuit ³¹⁾. Anno 1114 Henricus ipse marchiam adiit, Rudolpho Marchione avunculo ejus e marchia ejecto ³²⁾ et obiit jam anno 1128 sine liberis ³³⁾. Albertus Stadensis ³⁴⁾ ad annum 1123 mortem ejus adnotavit, addens, nunc Fridericum comitatum ab Archiepiscopo Alberone pecunia in beneficium obtinuisse, quem prius habuisset in administratione. Rudolphus Henrici avunculus mortem obiit anno 1124 et tres filios Udonem, Rudolphum II. et Hartvicum Canonicum reliquit ³⁵⁾. Defuncto vero Friderico Comite ³⁶⁾ anno 1135 comitatus ad antiquam Comitum Stadensium stirpem recessit; Udo Rudolphi I. filius natu maximus, cui primo loco obvenit, ab Adelberto ³⁷⁾ prope Aschersleve necatus est; ei Rudolphus II. frater successit, qui post Friderici Comitis mortem cum marchia comitatum conjunxit, anno vero 1144 a transalbinis Saxonibus, qui Fedmarsgoi dicuntur, percussus ³⁸⁾, antequam

³⁰⁾ Chronogr. Sax. l. c.

³¹⁾ Chron. Sax. pag. 283.

³²⁾ Annal. Sax. ad ann. 1114. Chronogr. Sax. ad ann. 1115.

³³⁾ Chronogr. et Annal. Sax. ad ann. 1128.

³⁴⁾ pag. 155 b.

³⁵⁾ Chronogr. Sax. p. 286.

³⁶⁾ Alb. Stad. p. 160 a.; ejus origo et fata eod. p. 153 a. sq.

³⁷⁾ Chronogr. Sax. p. 288. ALB. STAD. p. 164 b.

³⁸⁾ Chronogr. Sax. p. 296. ALB. STAD. p. 165 a.

tequam filios genuerat. Hartwico Canonico, tertio fratri, ultimoque gentis, de comitatu *) Stadensi a Henrico Leone controversia mota est.

§. 5.

Rudolpho nimirum mortuo anno 1144, Bremensis ecclesia comitatum Stadensem in suum dominium recepit. Hartwicus, ut sibi concederetur, omnem hereditatem suam Bremensi ecclesiae dedit et investituram nactus est; ban- num a Rege Conrado III., Fridericus Comes Palatinus suscepit ³⁹⁾, et statutum est, ut coadjutor ejus esset et judicaret in placitis principalibus. Dux jam Henricus Leo, adhuc puer, per tutores suos conquestus est regi, promisisse matri suae Alberonem Archiepiscopum, si moreretur Rudolphus, filio ejus se collaturum comitatum. Partes litigantes, quum in Rameslo convenissent, ut colloquerentur, Ducis milites Archiepiscopum et Hartwicum Praepositum comprehenderunt, postea vero liberos abire permiserunt. Quis tunc comitatum retinuerit, non certe patet. ALBERTUS STAD-
DEN-

*) Marchiam enim non adinet. Fines comitatus Stadensis nobis non plane patent; situs est in pago Wigmodi, per omnem parochiam Bremensem sparsim diffusus, maxime circa Albim (cfr. ADAM. BREM. L. IV. c. 5. MUSHARDI monumenta Nobilit. Bremens. pag. 1 sq. JUNKER Geogr. d. mitleren Zeit. p. 520. HERMANNI CONRINGI Opera. T.I. pag. 842.); finitimus erat comitatibus Stotlo et Lesmona in Angeri pago sitis. Itaque non confundendus est cum marchia Stadensi, quae omnem marchiam Aquilonalem comprehendit.

³⁹⁾ ALB. STAD, pag. 163 b.

DENSIS narrat, Albertum Episcopum nec poenis, nec minis motum esse ⁴⁰⁾ et Hartwicus Praepositus Stadensium dominus appellatur in privilegiis quibusdam ⁴¹⁾; attamen Henricum Leonem possessionem provinciae habuisse negari non potest ⁴²⁾.

§. 6.

Alberto Archiepiscopo anno 1148 defuncto, ipse in episcopatu successit Hartwicus ⁴³⁾. Dissensionibus inter eum et Henricum perdurantibus, comitatus Stadensis possessio hoc tempore semper dubia fuit ⁴⁴⁾. Episcopus sede adeo expulsus, eam anno 1168 recuperavit, paucis tamen diebus post exstinctus; a quo tempore Dux absque contradictione comitatum possedit ⁴⁵⁾. Tum Bremae novi praesulis electio gravissimos tumultus excitavit; duo, capitulo dissentiente, ad eam dignitatem vocati sunt, Sigefridus et Otbertus ⁴⁶⁾. Rogante autem Henrico Leone, Balduinus a Friderico I. Imperatore investitus est, omnibus clericis con-

⁴⁰⁾ ALB. STAD. pag. 163.

⁴¹⁾ LINDENBROGII privil. Archiep. Hamb. p. 156.

⁴²⁾ Origines Guelficae. T. III. L. VII. §. 6. p. 14.

⁴³⁾ ALB. STAD. pag. 165.

⁴⁴⁾ Bericht v. d. Hauses Brauns-Luneb. Gerechtigkeiten und wirkkl. Besitz über d. Grafschaft Stade. Vid. Opera HERM. CONRINGII T. I. p. 856 sq. — LAPPENBERG Grundrifs einer Geschichte des Herzogthums Bremen. Vid. Herzogth. Brem. u. Verd. T. II. pag. 284.

⁴⁵⁾ ALB. STAD. p. 195b. Chronicon Slavorum. L. II. c. 11.

⁴⁶⁾ ALB. STAD. eod.

tradicientibus⁴⁷⁾. Amicus is erat Duci, eoque Bremae regnante, Henricus itaque comitatum sine controversia possedit, sed mortuus est anno 1178 eo ipso die, quo accepturus erat depositionis suae literas; successit ei Bertoldus Magister⁴⁸⁾, cujus electionem Papa non approbavit, quia ante consecrationem de manu Imperatoris regalia susceperat; quo destituto Sigfridus Henrici Leonis tum amicus sedem archiepiscopalem adeptus est⁴⁹⁾. Mox vero mutata animi sententia Leonem accusavit, eoque proscripto, a Friderico I. Imperatore, literis anno 1180 datis, comitatum Stadensem obtinuit⁵⁰⁾. Defuncto ei anno 1184 Hartwicus II. successit⁵¹⁾.

§. 7.

Henricus Leo jam anno 1189 de Anglia in Saxoniam redux, castrum et comitatum Stadensem ab Hartwico II. in feudum recepit⁵²⁾; iterum autem ipsi ereptus est et Adolpho Comiti concessus, quem illum anno 1199 tenuisse eo adparet, quod urbem Stadensem eo anno a Canuto Danorum Rege obsessam, auxilio Archiepiscopi strenue defenderit;

⁴⁷⁾ Historia Archiep. Brem. p.60. ed. LINDENBRUCH.

⁴⁸⁾ ALB. STAD. p.195a.

⁴⁹⁾ ALB. STAD. pag.196 a.b.

⁵⁰⁾ Diplom. Stad. l. c. N.5. ROTH res Stadenses pag.50. Cfr. Scriptores rer. septentr. ap. LINDENBROG p.160.

⁵¹⁾ ALB. STAD. p.197b. 198a.

⁵²⁾ Historia Godeschalci. Vid. LEIBNITII scriptor. rer. Brunsv. T.I. p.870.

derit; Adolpho mox a Danis capto ⁵³⁾, anno 1201 provinciam ipse suscepit, sed brevi tempore retinuit, quum jam anno 1202 filios Henrici Leonis, hereditatem dividentes, Henrico Comiti Palatino oppidum et totum comitatum Stadensem adsignasse constet ⁵⁴⁾. Otto IV. Imperator, frater ejus, Stadam et Bremam expugnavit ⁵⁵⁾; Henricus autem usque ad annum 1204 Stadam retinuit, quo Agnes uxor ejus ibi sepulta est ⁵⁶⁾. Duce absente ⁵⁷⁾ Archiepiscopus civitatem et comitatum recepit et usque ad mortem suam ⁵⁸⁾ anno 1207 subsecutam possedit; ei magna Stadensibus privilegia concessa debentur ⁵⁹⁾.

§. 8.

In electione novi Archiepiscopi iterum tum dissensum est, eoque novi excitati tumultus. Interea Woldemarus alter electus civitatem Stadensem expugnavit et spoliavit ⁶⁰⁾ anno 1208. Inflicto vulnere medelam adtulit anno sequenti Otto Imperator, qui novis privilegiis Stadam donavit, ejusque antiqua jura et Hartwici privilegium concessum confirmavit.

⁵³⁾ ALB. STAD. p. 201 a., ad ann. 1199 et 1201. Cfr. Diplom. Stad. l. c. N. 6 et 7. attamen lege 1199 pro 1186 et 1189. Cfr. LAPPENBERG Grundrifs l. c. §. 61 sq.

⁵⁴⁾ Orig. Guelph. T. III. p. 626.

⁵⁵⁾ ALB. STAD. p. 201 a.

⁵⁶⁾ ALB. STAD. p. 201 b.

⁵⁷⁾ Eod.

⁵⁸⁾ Eod. p. 202 a.

⁵⁹⁾ Diplom. Stad. N. 8. ann. 1204.

⁶⁰⁾ ALB. STAD. p. 202 a.

mavit ⁶¹⁾. Ab eo tempore Henricus Comes Palatinus Stad-
dam possedit, quamquam inter Woldemarum et Gerhardum
episcopatus competitorem usque ad annum 1217 de pos-
sessione dimicaretur ⁶²⁾. Gerardo inimicus erat Henricus;
itaque quum, Woldemaro a Stedingis derelicto, Gerhardus I.
Archiepiscopus a Bremensibus reciperetur, ille ⁶³⁾ in Bre-
mensensem provinciam irruit et incendit, eamque vastavit; ad-
jutorem in ea re habuit Ottonem Imperatorem fratrem, qui
anno sequenti mortuus est.

§. 9.

Regnum jam et in his Germaniae partibus Friderico II.
Regi cessit anno 1219; ei principes convocanti Henricus
Goslariae insignia imperii praesentavit. Gerhardus I. Archi-
episcopus Bremensis ad eandem urbem evocatus, ut Duci
reconciliaretur, in itinere obiit apud Frankenvoerde; in
pacem tamen ille rediit cum Gerardo II. ejusdem succes-
sore ⁶⁴⁾. Henricus enim omnem hereditatem suam, quam
in comitatu Stadensi possideret, Bremensi ecclesiae in pro-
prium contulit, ut damna a militibus suis illi illata resarci-
ret; ab altera parte Gerhardus II. pro tempore vitae Ducis
comitatum Stadensem ei concessit ⁶⁵⁾. Henricus tamen
paulo post sententiam mutavit, idque in causa fuit, ut Ar-
chiepis-

⁶¹⁾ Diplomatarium Stadense. N.9.

⁶²⁾ ALB. STAD. p. 203 b. 204 a.

⁶³⁾ ALB. STAD. eod.

⁶⁴⁾ ALB. STAD. p. 204 b.

⁶⁵⁾ Diplom. Stad. N.10.

chiepiscopus Stedingis Henrici amicis et Bernhardo Comiti de Welpa castrum Ottersberg eriperet ⁶⁶). Henricus ex adversa parte vi potitus comitatu anno 1223, Ottonem Ducem de Luneborg, filium fratris Wilhelmi, omnium bonorum heredem instituit ⁶⁷). Eodem anno ⁶⁸) omnibus ministerialibus et civibus Stadensibus mandavit, ut post mortem suam, in omnibus fidelitatem et obsequium exhibentes, Ottoni Duci obedirent. Henricum verum tum possessorem provinciae fuisse, probatur privilegio Stadensibus carissimis civibus suis anno 1225 apud Stadam concesso ⁶⁹). Duobus annis post ⁷⁰) Henricus Dux, Comes Palatinus Rheni vita excessit; hostili erga Ducem animo Abbas adjecit verba: "et Bremensis Archiepiscopus comitatum Stadensem obtinuit". — Sane obtinuit, sed quis ignorat Ottonis Pueri fata eo tempore. In auxilium enim venit Woldemari Regis Danorum avunculi sui et ut ipse Abbas Stadensis narrat ⁷¹) anno 1226 illi junctus terras transalbinas invasit; rege autem Danorum anno 1227 a Bremensi Archiepiscopo, Alberto Duce Saxoniae et Henrico Comite de Zuverin praelio apud Burnhovede devicto, rex quidem fuga elapsus, Otto autem a Suerinensi Comite captivus abductus est. Liberatus postea a captivitate in patriam rediit; ibique cum hostibus pugnavit ⁷²).

§. 10.

⁶⁶) ALB. STAD. p. 205 a.⁶⁷) Diplomatar. Stad. N. 11. Origin. Guelf. T. IV. L. VIII, 3.⁶⁸) Diplom. Stad. N. 12.⁶⁹) Eod. N. 13.⁷⁰) ALB. STAD. p. 207 a.⁷¹) Eod.⁷²) REHTMEIER braunsw. lueb. Chronica pag. 464. 465.

§. 10.

Invenimus diploma anno 1228⁷³⁾, quo Albertus Dux Saxoniae renunciat Gerhardo II. "jus suum in Thietmarsiam et comitatum Stadensem"; itaque crediderim, Albertum partem comitatus Stadensis et totam Thietmarsiam, Woldemaro et Ottone victis, in possessione habuisse. Anno vero 1233 Otto Puer in terras hereditate patruī acquisitas rediit, Bremensis enim ecclesiae inimicus, comitatum Stadensem vastavit⁷⁴⁾. Imperator et Dux mox anno 1235 reconciliati sunt⁷⁵⁾; is omnem hereditatem imperio resignavit et a Frederico II. Imperatore in ducatum immutatam recepit. Jam et ad recuperandam Stadensem provinciam exiit; Bremam obsedit et factis exactionibus et incendiis, rediit; Castrum Ottersberg Duci traditum est. Anno 1236 Imperator ministerialibus Stadensibus⁷⁶⁾, mandat, ut Duci fideles et obediētes sint; itidem universis civibus Stadensibus⁷⁷⁾, ut Ottoni omnia restituant, quae de hereditate ejus tenerent, quamquam anno 1232 Henrici Comitis Palatini donationem confirmaverat.

§. 11.

Hoc modo Dux omnia bona sua hereditaria Imperatoris auctoritate recepit. Sed perpetuorum certaminum, ut videtur taedio captus, Archiepiscopum sibi reconciliavit et eccle-

⁷³⁾ Diplom. Stad. N. 14.

⁷⁴⁾ ALB. STAD. p. 209 a.

⁷⁵⁾ Eod. pag. 210 b.

⁷⁶⁾ Diplom. Stad. N. 18. Orig. Guelf. T. IV. L. VIII, 57.

⁷⁷⁾ Diplom. Stad. N. 19. Orig. Guelf. eod. 58.

ecclesiae perpetuam promisit pacem. Castris Harburgi et Ottersbergae destructis, Duci quaedam feuda porrecta sunt ⁷⁸⁾).

Sic diuturna discordia finita est, et ecclesia Bremensis comitatum Stadensem jam sine ulla controversia ad tricennale bellum usque possedit. Nullum tamen de conditionibus pacis inveni diploma; historici tantum narrant, Archiepiscopum et Ducem reconciliatos esse. Guestphalica pace comitatus Stadensis in Suecorum venit potestatem. Rediit quidem armorum ope ad Luneburgenses anno 1675, quum Suecorum res in Germania pessum irent. Sed mox ad Suecos reversus est Cellensi pace; rediit demum ad pristinum dominum una cum territorio Bremensi et Verdensi, partim a Danis, qui eum armorum ope possidebant, partim a Suecis nummis redemptus. Jam igitur penes Magnae Britanniae et Hannoverae Regem est; Sueci omni in eum comitatum et reliquas illas terras juri se abdicaverunt ⁷⁹⁾).

CAPUT SECUNDUM.

De urbis Stadensis origine ejusque antiquitate.

§. 12.

Stadam urbem antiquissimam esse, nemo fere negavit, sed de tempore foundationis vetus est inter historicos controvers-

⁷⁸⁾ ALB. STAD. 210b. REHTMEIER Chronica p. 477.

⁷⁹⁾ Cfr. CONRINGII Bericht über die Grafschaft Stade l. c.

troversia. Alii trecentis viginti annis ante Christum, conditam esse asserunt ¹⁾; alii tempore Drusi hic stativa habuisse Romanos ²⁾. Omnes fere secuti sunt Saxonem Grammaticum narrantem ³⁾, apud Stadam Hundingi Saxonum Regis et Helgonis Danorum Regis exercitus convenisse; et PTOLEMAEUM ⁴⁾ urbes Germaniae septentrionalis enumerantem, inter quas SeTutAnDAM nominat; eo nomine Stadam designavisse. Alii macedonici exercitus reliquiis origines Stadae adscribunt. — Contra sentiunt TRATZIGER ⁵⁾, HAGEMIER ⁶⁾ et SPERLING ⁷⁾, quem secutus est KOEHLER ⁸⁾. Inter recentiores, qui de hac materia agunt, v. SEELEN ⁹⁾,
LAP-

¹⁾ GEORGII BRAUNII Theatrum urbium praecipuarum totius mundi T. V, 40. — ALSTEDIUS in Theatr. chronol. urb. antiq. p. 263. — WALLICH de incendio Stadano. p. 70 sq. — WERDENHAGEN de reb. publ. hanseat. III. c. 1. MUSHARD Diss. de vera antiq. urb. Stadae §. 5 sq. — ROTH res Staddenses §. 4 sq.

²⁾ CLUVERI Germ. antiq. L. III. c. 18.

³⁾ Histor. Daniae L. II. pag. 28. ed. STEPHAN.

⁴⁾ PTOLEMAEI Geographia L. II. c. 11. Cfr. CRANZII Saxonia L. I. c. 4. CHYTRAEI Chronicon anno 1500-1593. p. 68.

⁵⁾ Gründlicher Bericht, dafs Hamburg älter als Stade sey, cfr. WALLICH de incendio Stadano pag. 78 sq.

⁶⁾ Comment. de foedere civit. Hanseat. c. 4.

⁷⁾ Tractat vom Alter der Städte Stade und Hamburg. Cfr. v. SEELEN Brem. u. Verd. Merkwürdigk. vid. Herzogth. Brem. u. Verd. T. III. p. 108.

⁸⁾ Münzbelustigungen. T. 8. coll. 35. ⁹⁾ l. c.

LAPPENBERG ¹⁰⁾ et KERSTENS ¹¹⁾ afferro, qui in eo conveniunt, Stadam urbium Saxoniae inferioris esse antiquissimam.

§. 13.

Superfluum est, singulorum opiniones perpendere; plurimi figmenta mera et inanes fabulas narrant et omnes quidem qui Grammaticum secuti sunt; caeteri nihil probant, antiquitatem arguunt ob urbis situm et celebritatem; qui illis contradicunt et ab adversa parte nulla habent argumenta; Tacitum allegant narrantem nullas Germanorum populis urbes habitari et auctoritatem Saxonis Grammatici reprehendunt. Nemo eorum omnium ex diplomatibus suspicione carentibus argumenta desumsit ¹²⁾; historicorum fabulosas narrationes ex lapidibus et sepulchris probare volunt, quum ex privilegiis et literis foundationis ecclesiarum argumentari potuissent. Meam ut declarem sententiam, eos non reprehendo, qui, Stadam jam ab antiquissimis temporibus villam fuisse crediderunt; Stadae castrum a Carolo Magno contra Normannos exstructum esse, crederem, si castrum illum in ea regione posuisse in annalibus invenissem; attamen usque ad saeculum undecimum nomen Stadae in diplomatibus omni exceptione majoribus non occurrit; Stadam tamen prius non extitisse, inde non consequitur; probatur potius documentis saeculi duodecimi, jam longe antea claruisse et villam fuisse cum castro conjunctam.

§. 14.

¹⁰⁾ Grundrifs l. c. p. 315.

¹¹⁾ Stadesche Nachrichten vid. Herzogth. Brem. u. Verd. T. V. p. 289.

¹²⁾ PÜTTER et DE GROTHAUS nonnulla quidem allegant in Diss. de Stat. Stad. §. 7.

§. 14.

Literas quidem, quae bellum Stadensium et Thietmarsorum compositum dicunt ¹³⁾ anno 1000, afferre nolim, ut sententiam meam confirmem; quamvis multi documentum iis pro urbis antiquitate inesse credant. Linguae enim Saxoniae inferioris peritus, eas saeculo decimo quarto scriptas esse, facile intelliget. Diploma tempore primum ¹⁴⁾, quod hic allegare potuissem, continet donationem Henrici IV. (cfr. §. 3. supra). Attamen non crediderim, Stadam comprehensam fuisse hac prima donatione, quia hisce verbis utitur Imperator: "Udonis comitatum, in Angeri situm etc."; itaque eam partem comitatus, quae in Angeri pago sita est; Stada vero pertinet ad pagum Wigmodi (cfr. §. 4. Not. * supra). Itaque in hoc diplomate de urbe nostra non agitur.

§. 15.

Transeamus vero ad documenta saeculi duodecimi, quae nobis satis probant, Stadam jam ante annum 1137 urbem fuisse nec parvi momenti.

1. Primo loco nobis occurrunt Adalberonis Archiepiscopi literae foundationem coenobii S. Georgii Stadensis *) continentes anno 1137 ¹⁵⁾. Hoc monasterium fundatum est

¹³⁾ Diplomatarium Stad. N. 1.

¹⁴⁾ Eod. N. 2.

*) Coenobium quid sit, cfr. DU CANGE: monasterium potest unius monachi habitaculum nominari, coenobium autem nominari non potest, nisi ubi plurium cohabitantium degit unita communio.

¹⁵⁾ Diplom. Stad. N. 5. ROTH progr. saeculare pag. 11.

a Rudolpho II. Marchione (cfr. §. 4. in fin.) pro remedio animae Udonis fratris nuper occisi; “obtulit Deo et ecclesiae in honorem S. Georgii de hereditate sua curias et mansos cum pratis et silvis circumjacentibus et decimam praedii, de quo ex consensu Verdensis Episcopi solvuntur annuatim octo solidi Stadensis monetae”. Omnes fere ex hisce verbis probare volunt, Stadam jam saeculo XII. et prius jus cudendi monetam habuisse, quod igitur civibus Hildeboldus ¹⁶⁾ anno 1272 non concesserit sed tantum confirmaverit; aliam vero sententiam de hac re infra adnotabo (§. 31.); id mihi satis inde certum videtur, Stadae jam tunc temporis monetam extitisse. In medio diplomatis hisce verbis usus est Archiepiscopus: “nos vero tam devotam oblationem cum Christo gratiam habentes, non distulimus ad sustentationem inibi domino militantium, parochialem ecclesiam S. Willehadi in ipsa villa Stadhen sitam, prius a summa praepositura redemptam, et a quatuor marcis, quae ex ea annuatim solvebantur praeposito majori ad stipendia praebendarum, majoris ecclesiae canonicis exhibenda, libere ipsi traditis aliis quatuor marcis de curia nostra Stedestorp, consilio et decreto sanctae Bremensis ecclesiae, cum omni cura christianae obeditionis, baptismate, visitatione infirmorum, sepultura mortuorum tam advenarum, quam indigenarum Stadhen parochiae et aliis quibuslibet bonis, exhibitionibus et decimis ad eam pertinentibus, Grove in insula Inpenhorst, per totam Veltmarc et ecclesiam St. Pancratii in urbe et capellam SSt. Cosmae et Damiani Rudolpho Comiti ex antiquo paternae hereditatis jure accedentes, quas nobis resignavit cum suis

appen-

¹⁶⁾ Diplom. Stad. N. 28.

appendiciis et capella St. Nicolai trans aquam, capellam St. Spiritus et capellam in Butevlete et capellam in Bardesvlete cum suis utilitatibus, quas appendicium ecclesiae St. Willehadi appellamus, integraliter donare".

§. 16.

His perlectis, non dubitamus, anno 1137 duas ecclesias parochiales St. Willehadi et St. Pancratii et tres capellas St. Nicolai, SSt. Cosmae et Damiani et St. Spiritus Stadae extitisse. Luce clarius mihi ex his esse videtur, jam tunc temporis urbem maximi momenti fuisse; nam ubi duas parochias et tres capellas fuisse intelligo, ibi etiam magnam christianorum multitudinem habitasse opinarer. Stada nominatur villa, postea vero urbs; nomen urbis illis tantum locis dari solitum est, qui caeteris celebritate et claritate antecellunt; Stada itaque jam tunc locus erat claritate insignis *). Ubinam vero habetur urbs, cujus cives paucis annis duas ecclesias et tres capellas aedificare potuerunt? Crediderim itaque, Stadam nostram jam longe antea extitisse, jam per ducentos forte annos (si fata aliarum civitatum perpendimus), ecclesiam et capellas habuisse. Nunc vero in eo sum, ut contendam, Stadam jam ineunte saeculo decimo extitisse, quo optime conjungi potest, quod (supra §. 2.) demonstravi, jam Henricum Comitem Stadae regnasse, qui tres habebat filios, Henricum Bonum, Udonem et Sigefridum,

*) Ditmarus Merseburgensis qui mortuus est ineunte saeculo undecimo, omnium primus Stadam urbem nominat. l. c. p. 353.

fridum, Ditmari Merseburgensis avunculos; nec Albertus Stadensis¹⁷⁾ obstat, si narrat, Sigefridum aedificasse Stadum, nam eo tempore (supra §. 2.) Ascomanni apud Stadium, quod est opportunum Albis portus praesidium, e navibus egredierunt; itaque verbo: *aedificare* Abbas demonstrat, Sigefridum Stadum restaurasse et majoribus praesidiis firmasse.

§. 17.

2. In secundo diplomate, quod huc pertinet, Adalberonis Archiepiscopi Bremensis literae foundationis coenobii S. Mariae descriptae sunt anno 1147¹⁸⁾. Cognoscimus ex diplomatis verbis, tres fratres ante paucos annos in suburbio Stadensi ecclesiam ligneam aedificasse, quae successu temporis magna ceperit incrementa, ut nunc in monasterium *) mutata sit, cujus foundationis hae literae testes sunt. Suburbium Stadense hic primo occurrit, ubi vero suburbium, ibi etiam urbem fuisse intelligimus.

Haec mihi sufficiunt ad antiquitatem urbis probandam; caetera argumenta iis committo, qui conjecturis dimicare cupiunt.

¹⁷⁾ Pag. 164 a. pag. 111 b. Adam. Brem. II. 22.

¹⁸⁾ Diplom. Stad. N. 4. VOGT Monumenta inedita in Chron. Rosenfeldensi T. I. pag. 142. ROTH Res Stadenses pag. 44.

*) ALBERTUS STADENSIS hujus monasterii quartus erat Abbas, qui mortuus est ann. 1242.

CAPUT TERTIUM.

De singularibus privilegiis, quibus Imperatores, Duces et Archiepiscopi Stadam donaverunt, usque ad annum 1279.

§. 18.

Ex his simul manifestum erit, Stadam jam saeculo duodecimo urbem fuisse, quae civitatis jure utebatur.

1. Diplomatum quae huc pertinent, tempore primum est, Hartwici secundi Archiepiscopi Bremensis, anno 1204 scriptum ¹⁹⁾. Supra (§. 7.) demonstravimus, Hartvicum, Henrico Duce absente, Stadam rursus expugnasse. Quo mense hoc privilegium concessum sit, non patet, sed in fine anni datum esse crediderim. In principio diplomatis Hartwicus narrat, se ad petitionem fidelium ministerialium ecclesiae, civibus Stadensibus concessisse hoc privilegium, sed crediderim factum potius esse ad reconciliandos sibi civium animos, qui huc usque in partibus Ducis fuerant. Singula privilegii argumenta describam, ut distinctius ea perspiciamus: quatuor praecipue hic adnotanda videntur:

a) Archiepiscopus civibus promittit, se nullos obsides ab iis repetere velle,

b)

¹⁹⁾ Diplomatarium Stadense. N. 8.

- b) nec unquam pecuniam poscere pro eductu annonae, quam suo comparaverint argento.
- c) Concedit, ut nulli extraprovinciali liceat, in civitate res alicujus hospitis occupare, sed si civis extraprovincialem habeat super aliquo impetere, prius coram iudice extraprovinciali debeat obtinere, ut ei licitum sit, res ipsius occupare.
- d) In fine, civibus eadem jura et eandem justitiam, quam ab antecessoribus hactenus habuerint, non solum conservare, sed etiam, quantum fieri possit, augmentare, promittit.

Haec privilegia jam eam ob causam non sunt negligenda, quia fundamentum omnium privilegiorum insequenti tempore concessorum continent; attamen et ideo maximi mihi momenti esse videntur, quia Archiepiscopus promittit, se omnia *jura*, quae *antea* jam habuerint, velle conservare. Patet igitur, Stadenses jam tunc temporis, certas habuisse leges, quae, mutato principe, confirmantur ²⁰). Sed quaenam erant jura? Consuetudines, crediderim, quae inter cives, iudicis et scabinorum sententiis, vim legis acceperant ²¹). In omnibus Germaniae urbibus ante conscripta statuta, legum et consuetudinum argumenta plane nobis sunt incognita. Sed simillima illis, quae paulo post conscripta sunt, juris mere germanici praeclara documenta in illis comprehensa fuisse, crediderim; eo enim tempore juris Romani perniciose contagio nondum infecerat, patriae jurisprudentiae pulchra initia.

§. 19.

²⁰) EICHHORN Rechtsgeschichte. T. II. §. 265. Not. f.

²¹) EICHHORN §. 258. l. c.

§. 19.

2. Inter diplomata illud Ottonis IV. Rom. Imperatoris illustre privilegium eminet *), datum anno 1209 apud Aldenburc VI. nonas Maji (cfr. supra §. 8.). Privilegia hujus temporis brevissima esse solent ²²⁾ hoc vero tam amplum est, ut duodeviginti articulos in eo comprehensos esse credam, quos hic brevissime et quantum fieri potest, ipsissimis diplomatis verbis describam, qui (infra §. 42.) probaturus sim fundamentum Statutorum Stadensium ei inesse.

Postquam Imperator promiserat, se eos, qui Stadensem civitatem inhabitant, inspecta eorum devotione, in jure suo, quod ad ejusdem loci profectum, Henricus pater statuit, diligenter velle conservare, singula sequuntur hoc ordine:

I. Imperator concedit, ut burgenses et optimi cives coram advocato, vel alio quovis iudice, juricapium, quod vulgarter Vare dicitur, in iudicio omnimodo non sustineant.

II. Qui vero moram fecerit et advocati edicto tardius steterit, octo denarios in vado componat.

III.

*) Quatuor vicibus in lucem editum est, vid. G. ROTH Progr. de privilegio Ottonis IV. pag. 4. RICCI zuverlässiger Entwurf von Stadtgesetzen pag. 167 sq. PUFENDORF obs. jur. univers. II. App. p. 152 sq. Diplom. Stad. N. 9. Tabulae authenticae cum multis aliis diplomatibus, igni ereptae, in curia Stadensi custodiuntur. ROTH l. c. p. 4. apte de hoc privilegio ita scripsit: *antiquissimum est gratiae monumentum, quo aliquot abhinc saeculis Domus Brunsv. et Luneb. Stadam affecit ornavitque.*

²²⁾ EICHHORN §. 263. Not. 9. l. c.

- III. Qui insolentiam per strepitum fecerit, octo denarios componat.
- IV. Si quis alteri alapam dederit, vel aliam aliquam intulerit laesionem, advocato in quatuor solidos componat, si laesus servilis conditionis homo fuerit, aut censualis, in satisfactionem octo solidos accipiat; si ingenuus, sive libertus, vel ministerialis fuerit, qui laeditur, talentum in compositionem satisfactionis; accipiat nihilominus advocatus quatuor solidos in vadio.
- V. Ut in quolibet casu vel excessu advocatus non plus quam octo, in causis principalibus, solidos in vadii compositionem accipiat.
- VI. Ubi aliquis in calore cum altero conflictum fecerit, et gladium eduxerit, pacemque in sanguinis effusione violaverit, ita, quod reus sanguinis capite plecti, vel manu truncari debeat, coram Comite, dum pro tribunali in plebiscito sederit, sexaginta solidos in vadio et civibus nonaginta componat.
- VII. Si quis vir vel mulier, in civitate Stadensi sub eo, quod dicitur Wicbelethe, per annum et diem, nullo impetente, permansit; et si quis postea libertati ejus obviare voluerit, actori silentio imposito probationis, liceat ei dicti temporis praescriptione libertatem suam probare. Si quis autem hujusmodi hominem impecierit, primum in ingressu causae fidejussores congruos ponat, utrique secundum jus est.
- VIII. Si quis sub Wicbelethe, in civitate Stadensi mortuus fuerit, suam *Herwede* sub judiciaria potestate per an-

annum et diem permaneat, sub expectatione legitimi heredis, qui illud hereditario jure debeat occupare.

IX. Ut nemo omnino lito in civilem justitiam, nisi ex permissione et licentia domini sui, coram iudice et communi vulgo recipiatur.

X. Si quis aliquam hereditatem acquisiverit, in civitate Stadensi, sub Wicbelethe, et eam per annum et diem, nullo impetente, possederit, ipse propior et magis idoneus habeatur, ad probationem obtinendae hereditatis, quam alter ad auferendam, nisi forte dominus areae eam vendiderit in propria persona, vel certi nuntii sui ad ea commissa procuratione.

XI. Omnes areae, quas Dux Henricus, per recompensationem bonorum suorum liberavit, libere traduntur burgensibus, sub jure Wicbelethe, ita ut ab omni jure quorumlibet, et exactionibus et iudicio sint exemptae, et nulli de iis respondeant, nisi advocato civitatis, qui dicitur Wicvogt in jure suo et tantum dominis suis, quorum prius erant areae, censum debitum solvant.

XII. Ut burgenses a bottingo *) omnino sint liberi, ita, ut eos bottingis nemo considerare et eos sibi jurisdictioni stare de caetero possit coarctare.

XIII. Ut omnes viarum exitus et omnia pascua, quae burgenses libera produxerunt, iisdem libere permaneant, et

*) Confr. MEVII Wucherliche Contracte. II. c.8. p.110.

ROTH von den alten Einwohnern des Herzogth. Bremen.
Vid. Herzogth. Brem. und Verd. T.I. p.47.

et si quis haec impecierit, ipsi cum jure inde respondeant.

XIV. Ut nullus dominus civitatis unquam obsides a civibus possit exigere. Confr. Hartwici priv. N. a.

XV. Confr. Hartwici priv. N. b.

XVI. Confr. eod. N. c.

XVII. Quid adinet ad Wiverathe (geradam), praescribitur, ut, mortua aliqua paupere vel divite muliere, tota suppellectile perspecta, praetiosiora quaeque vestimenta heredibus exhibeantur, reliquas vero vestes et vir et heredes aequaliter dividant, utensilia autem viro domus permaneant.

XVIII. Ut nulla extranea persona quemquam de civibus, neque etiam civis civem, per duellum, in aliquo casu impetere possit.

§. 20.

Ad diversas juris materias hoc privilegium pertinet; praecipue agitur de hereditatibus, processu et de poenis; plures tamen et continens liberationes et concessionem, quae ad jus publicum spectant. Non omnia vero capita, quae in eo contenta sunt, nova credere possum:

A) eam ob causam, quia tria capita (XIV. XV. XVI.) jam legimus in Hartwici privilegio; usitatissimum enim fuit, ut in novo privilegio, omnia antea concessa et antiquae consuetudines confirmarentur²³⁾.

B) Quia Imperator ipse in fine diplomatis confirmationes et concessionem esse dixit hisce verbis: "Ut autem haec nostra
nostra

²³⁾ EICHHORN Rechtsgeschichte T. II. §. 263.

nostra sublimitatis nostrae concessio et confirmatio memoratis civibus firma stabilisque omni aevo permaneat, hanc ducalem paginam, exinde conscriptam, sigilli nostri impressione jussimus communiri”.

Falsa itaque opinio eorum omnium est, qui contendunt, Stadam ex Ottonis concessione jus civitatis accepisse: id quod nego:

- a) quia ex principio diplomatis patet, jam longe antea Stadam certa jura habuisse (cfr. §. 19.).
- b) Ex his verbis mihi manifestum esse videtur, jam Henricum Leonem Stadensibus jus civitatis concessisse; nam burgenses ei erant amicissimi, ultimum in periculis ipsi paraverant refugium. PÜTTERUM tamen falli putaverim, si ita scribit ²⁴⁾: “Si quid in his rebus conjecturae dandum est, Henricus Leo Dux Saxoniae, is fuit, qui urbem Stadensem *statutis* suis donavit”. Quamvis caeterum nullum de hac concessione juris civitatis exstet diploma, sufficienter id probatur ex illis Ottonis verbis: “cives in eo jure conservare, quod Henricus pater noster, statuit”. Certum eodem modo est, Henricum Leonem Lubecensibus jus civitatis concessisse, quamquam literis authenticis destituti simus, et crediderim, mea argumenta nullo modo infirmiora esse illis, quibus Lubecenses illam concessionem probant ²⁵⁾.

c)

²⁴⁾ Diss. de Stat. Stad. §. 17. Confr. EICHHORN Rechtsge-
schichte II. §. 284.

²⁵⁾ EICHHORN Rechtsgeschichte II. §. 263. N. h.

c) Neque Hartwici, neque Ottonis privilegium de concessione juris civitatis agit; ubique civitati Stadensi, quae nominatur Wicbelethe, illa privilegia confirmantur vel conceduntur, sed jus civitatis non conceditur, quia jam longe antea eo utebatur. Quo anno factum sit, nunquam manifestum erit, quia literis de hac re destituti sumus; attamen ante annum 1168 factum esse, non crediderim, quia huc usque comitatus possessio (supra §.6.) dubia erat; post annum 1182 fieri non potuit, quia hoc anno Dux Stadam reliquit, et anno 1189 vix paucos menses apud Stadenses commoratus est.

d) Burgensibus et optimis civibus Imperator concedit privilegia; optimi cives autem ii sunt, qui postea consules nominantur ²⁶⁾, itaque nec Hartwicus Archiepiscopus anno 1204, nec Otto Imperator anno 1209 Stadensibus jus civitatis concesserunt, sed longe antea ab Henrico adeptum confirmaverunt.

§. 21.

3. Henricus Comes Palatinus anno 1225 ²⁷⁾ illis magnis privilegiis a fratre urbi concessis hoc adjecit, ut cives Stadenses ab omni telonio injusto et exactione iniqua, qua gravari apud villam Sellis solebant, omnino absoluti et quieti essent. Nihil mihi de hoc privilegio dicendum fuisset, nisi inter testes plures cives Stadenses et hic primo nonnulli
 consu-

²⁶⁾ EICHHORN über den Ursprung der städtischen Verfassung in Deutschland. Vid. Zeitschrift für geschichtl. Rechtswissenschaft T. II. coll. 2. pag. 167.

²⁷⁾ Diplom. Stad. N. 15.

consules de ipsa civitate occurrerent. Solum tamen nomen novum est, personam consulum jam antea in Ottonis privilegio invenimus; qui Henrico consules, illi Ottoni optimi cives appellantur. Quia vero nec ante cives, nec inter eos nominantur, sed inter caeteros post cives, non eorum magistratos fuisse crediderim, quod vulgo contenditur. Forsan scabinorum collegae erant et eorum magister advocatus, qui saepissime occurrit in Ottonis privilegio ²⁸).

§. 22.

4. Fridericus II. Imperator anno 1233 ²⁹) illam Staden-
sium telonii libertatem ita extendit, ut per totam Bremen-
sem dioecesin ab omni telonii exactione immunes sint et
utantur hac libertate de omnibus rebus et mercimoniis, quae
emerint et vendiderint. Semper ab eo tempore Stadenses
hoc privilegio usque ad hunc diem usi sunt, olim per to-
tam Bremensem dioecesin, hodie tantum per ducatum Bre-
mensem ³⁰).

§. 23.

5. Anno 1238 Rudolphus ³¹) Comes Holsatiae, Archi-
episcopo rogante, etiam in suo dominio Stadensibus eandem
concessit

²⁸) EICHHORN über die städtische Verfassung. Zeitschrift.
T. II. coll. 2. p. 166. T. I. coll. 2. p. 230.

²⁹) Diplom. Stad. N. 15. BÜLOW und HAGEMANN Erörterun-
gen III. N. 74. Orig. Guelf. III. p. 666. Originale in curia
Stadensi custoditur.

³⁰) BÜLOW et HAGEMANN l. c. p. 399 sq.

³¹) Diplom. Stad. N. 21.

concessit telonii libertatem his verbis: "Burgensibus Staden-
sibus omnes exactiones, quas *Ungeld* dicunt et telonium,
quod per districtum dominii sui de singulis rebus daturi
essent, penitus in perpetuum relaxat; sicut alii mercatores
de choro tritici sive siliginis, qui *Wispel* vulgariter appel-
lantur, duos solidos, de choro avenae unum solidum tantum
dabunt. In Thodesso *) telonium dabunt sicut a civibus
Lubecensibus ibidem dari consuevit. Alias per totum suum
dominium ab omni exactione sive telonio liberos voluit
esse et immunes".

His privilegiis ad telonii libertatem pertinentibus hoc
usque perspectis, quorum majorem copiam Stada postea ac-
quisivit, manifestum nobis est, nullo modo celeberrimis mer-
catoriis urbibus posse postponi.

§. 24.

6. Duo secundum temporis ordinem sequuntur diplo-
mata, quae foedus inter urbem Stadensem et Brunsvicensem
continent. Anno 1248 ³²⁾ universi consules et tota commu-
nitas burgensium in Stadio, universis consulibus caeterisque
burgensibus in Brunsvic constitutis insinuant his literis, quod
Brunsvicenses ad civitatem Stadensem cum bonis et rebus
venientes ac redeuntes in protectionem et defensionem re-
cipere velint.

§. 25.

*) Id est Itzehoe.

³²⁾ REHTMEIER brauns-luneb. Chronica. pag. 481. Diplom. Stad.
N. 22.

§. 25.

7. Anno 1249³³⁾ consules Brunsvicenses omnibus burgensibus et negotiatoribus Stadensibus eadem auxilia promiserunt verbis maximam reverentiam testantibus. Haec illis pactis, quae anno 1241 Lubecenses et Hamburgenses iniierunt, quibus foederis hanseatici origo inest, simillima crediderim. Forsan secuti sunt eorum exemplum, quia illis temporibus turbulentis, utilissimum fuit, ut civitates celeberrimae et emporia frequentatissima hujusmodi pacta violentiis militum et nobilium opponerent. Brunsvicenses portu Stadensi utebantur ad merces transvehendas in regiones transmarinas, quod ex consulum Stadensium verbis manifestum esse videtur: "Si aliqua inimicitia inter nos oriretur, hoc vos medio tempore ad diem praefixum praescire faciemus, ut de rebus vestris, *si quas in civitate nostra habetis, prout vobis placuerit, ordinetis*".

§. 26.

8. Gerhardus II. Archiepiscopus, qui anno 1236 (supra §. 11.) comitatum acquisiverat ecclesiae in perpetuum, ex pacto et conventionem Ottonis Pueri, civibus Stadensibus anno 1252³⁴⁾ omnia eorum privilegia his verbis confirmavit: "Qui vero jura praedictae civitatis et civibus ejus infringere praesumserit, cum Chore et Dathan, quos terra vivos absorbit, portionem habeat et cum Juda traditore, mucrone perpetui anathematis feriatur". Nova vero privilegiis antiquis nulla adjecit.

§. 27.

³³⁾ Diplom. Stad. N. 23. Originale in curia Stadensi exstat.

³⁴⁾ Diplom. Stad. N. 24.

9. Hildeboldus Gerhardi successor³⁵⁾ civitati Stadensi anno 1259 omnia privilegia antiqua confirmavit, multa nova adjiciens. Nova antiquis mixta, tria et viginti capita continent. Caeterum illud ad ordinem privilegii Ottonis descriptum est; attamen in singulis multae occurrunt transmutationes, quas accuratius adnotabo.

In principio non agitur de burgensibus et optimis civibus, sed tantum cives nominantur. Inter antecessores non solum Archiepiscopi et Principes, quorum privilegia confirmat Hildeboldus, sed etiam Nobiles nuncupantur. Usque ad quartum caput, Ottoniani privilegii fere sunt verba, attamen prioribus adjicit: "*Et qui non venerit ad edictum advocati, quatuor solvere tenetur solidos*". Quartum caput privilegii ab Ottone dati duas in partes divisum est. Ita scribit Archiepiscopus: "Si quis civium alapam alteri dederit, quum adversario in viginti solidos componat, advocato quatuor solidos vadiabit et in viginti solidos satisfiet civitati.

V. Quicumque perverso fretus consilio alteri laesuram impresserit quamlibet, laeso LX solidis emendabit (et civitati XC, ex quibus quotcunque cives arbitrio libero recipere voluerint, habebunt duas partes ipsi, tertia dabitur advocato.

VI. Confr. cap. V. Priv. Otton.

VII. Confr. cap. VI. Priv. Otton.: Si quis in calore — vel manu truncari debeat, in arbitrio civium stabit vindicta hujus

³⁵⁾ Eod. N. 26. AYRERI Diss. de jure occupandi bona vacantia. p. 58. PUFENDORF obs. jur. univ. App. T. II. p. 157. Originale in curia Stadensi exstat.

hujus excessus, et si videbitur consultum civibus, ut pecunia emendetur excessus, sumet civitas duas partes et tertia dabitur advocato.

VIII. Novam continet dispositionem his fere verbis: Burgenses secundum consilium consulum civitatis in libero arbitrio secundum jus civitatis manent.

IX. Confr. c. VII. Priv. Otton., sed Hildeboldus majori brevitate usus est.

X. Consonum est c. IX. Priv. Otton., sed accuratius descriptum his verbis: "Cives nullum servum aut litonem vel ecclesiae Bremensis, vel alicujus ad ecclesiam pertinentis, seu alicujus nobilis in civitatem recipiant, nisi domino illius consentiente et si alicui litoni datum fuerit jus burgense domino consentiente, lito a domino, ab omni causa, quae vulgariter *Herwede* et *Hiensprake* nuncupatur, erit liber et solutus".

XI. Capitis fundamentum in octavo Priv. Otton. invenimus, sed privilegium exuviarum, quo plures urbes utuntur, accuratius describitur his verbis: "Si quis alienus in civitate mortuus fuerit, exuviae ejus in potestate civium et judicis per annum et diem manebunt, et si medio tempore legitimus heres mortui venerit, eas accipiet, sin autem, cives duas partes accipient, advocatus tertiam".

XII. Confr. c. X. Priv. Otton.

XIII. Confr. c. XII. Priv. Otton. cui haec verba adduntur: "Nec eos quisquam in bonis aut personis per dioecesin praepediat, sed causa contra eos habita coram advocato

et consulibus ejusdem civitatis proponatur et justo judicio complanetur".

XIV. Si quis hospes de terra civitatem intraverit, si in aliquo delicto culpabilis comprobatur, nullus omnino ei in civitate violentiam faciet, sed si aliquis eum incusaverit, advocato civitatis repraesentetur et judicio civitatis in jure vel gratia subjacebit.

XV. Confr. c. XIII. Priv. Otton.

XVI. Confr. c. XIV. Priv. Otton.

XVII. Burgenses Stadenses a heribanno excipit his verbis: "nullam exactionem indebitam faciemus in burgenses, nec iidem burgenses ad voluntatem et praeceptum alicujus domini ire tenentur in expeditionem, sed muros civitatis custodire". Quo privilegio semper utebantur usque ad tempora novissima.

XVIII. Cfr. XV. Priv. Otton.

XIX. Nulli hospiti aut alieno liceat alteri hospiti aut alieno vadium quocunque modo *accipere* salvo judicio advocati.

XX. Si quae mulier dives vel paupercula in civitate mortua fuerit, ejus propinquiore heredes tollent hereditatem et vestes et utensilia domus, et in quamcunque partem cesserit hereditas, ad eandem pertinebunt reliquiae, quae *Herwede* nominantur, salvo jure Archiepiscopi et ecclesiae. Cfr. cap. XVII. Priv. Otton.

XXI. Cfr. cap. XVIII. Priv. Otton.

XXII. "Omnes mercatores de mari venientes, cum rebus suis non transeant, sed ad civitatem Stadensem cum navibus adplicent et tres aquas ibi jaceant, postea si volue-

voluerint, libere recedant". Quo privilegio Stadenses etiam usque ad hunc diem quodammodo utuntur.

XXIII. Omnes areae infra civitatem sitae liberae sint et maneant, excepto solo censu, qui de areis solet persolvi.

§. 28.

Singulis articulis hujus privilegii cum lectoribus communicatis, plura mihi adnotanda videntur.

A) Manifestum est, in jurisdictionis administratione ea mutata esse, quae sublata comitum potestate, novam induere formam necesse erat. Cfr. c. VI. Priv. Otton. cap. VII. VIII. Priv. Hildeboldi. Illic haec verba invenimus: "coram Comite (vel Comitis vicario), dum pro tribunali in plebiscito sederit"; hic in arbitrio civium stabit vindicta et si videbitur consultum civibus. Praecipue vero patet ex cap. VIII. Priv. Hildeb. — Comes qui in Priv. Otton. occurrit, nunquam nominatur. Advocatus igitur, quod statim adparebit, in illius locum successit, aucto simul civium jure.

B) Ante omnia enim patere mihi videtur, cives collegium fuisse, quod jurisdictionem administraret, cujusque praeses esset advocatus³⁶⁾.

a) Judicium vocatur advocati cfr. c. III. "Item qui in iudicio advocati fecerit insolentiam, quae dicitur *Unlust*, octo tamen denarios vadiabit".

b) Poena dividitur inter advocatum et cives. c. V. c. VII.

c)

³⁶⁾ EICHORN über die städtische Verfassung. Vid Zeitschrift T. II. coll. 2. pag. 228.

- c) Ab arbitrio civium vindicta excessus pendet. cap. VII.
 d) Burgenses non iidem sunt, qui cives nominantur. c. VIII.
 e) Cives iidem sunt, qui consules nominantur. c. VIII.
 C) Poenae mutatae sunt: cfr. c. IV. Priv. Otton. c. IV. V. Priv. Hildeb. cfr. cap. VI. Priv. Otton. c. VII. Priv. Hildeb.
 D. Omnis differentia inter homines servilis conditionis et ingenuos, quae c. IV. Otton. Priv. nominatur, hic nusquam occurrit. Si litoni jus civitatis concessum est, ab omni servitutis causa liberatur, quamquam vetetur, ne ei concederetur, domino nesciente. Confr. c. IX. Priv. Otton. c. X. Priv. Hildeb.
 E. Plura in hoc privilegio latius descripta sunt: confr. c. IX. VIII. Priv. Otton. c. X. XI. Priv. Hildeb.
 F. Plura nova adjecta sunt: confr. c. VIII. XIV. XVII. XIX. XX. XXII. Ex principio privilegii vero manifestum est, haec omnia consuetudine mutata et Archiepiscopi auctoritate confirmata esse, qui his verbis utitur: "Unde noverint praesentes et posterum, quod jura, quae dilecti cives Stadenses, a nostris antecessoribus, principibus et nobilibus usque ad nostra tempora habuerunt et servaverunt, nos praesenti scripto duximus recolenda et auctoritate nostra confirmanda".

§. 29.

Restat, ut aliquid adnotem de causa, quam Hildeboldum habuisse crediderim, ut jam tertio vel secundo episcopatus mense Stadensium privilegia confirmaret*). Bellum enim
 cum

*) Nam electus est post diem XXVIII. mens. Jul., hoc privilegium datum die Michael.

cum Hamburgensibus gessit, quo Stadenses socios habuit. Lambecius ³⁷⁾ narrat, ad annum 1259, Stadenses speciem praetulisse necessitatis ut Hildeboldo fideles se exhiberent, re vera autem ex invidia fecisse, inter vicinas, aemulasque civitates usitata, et Hamburgenses variis modis hostiliter lacerare coepisse. Qua in dies excrescente protervia, obsidisse Hamburgenses Stadam, missa classe delectis militibus eoque alio apparatu, ut temporibus illis instructa satis et conspicua videretur. Acerrime ibi aliquot praeliis dimicatum esse, ita tamen ut aequo Marte semper discessum sit et non mediocri utrimque clade, magnoque submersorum numero.

§. 30.

10. His observatis, obscurum nobis etiam illud Hildeboldi diploma anni 1268, de modo solvendi telonium, si Stadenses Archiepiscopi ³⁸⁾ transactionem cum Hamburgensibus approbare nollent, sed bellum adversus illos gesturi essent, jam erit manifestum: quo his fere verbis usus est: "Noverint universi, quod si civitas Stadensis, pacem cum Hamburgensibus factam, ratam habere noluerit cum ipsis Hamburgensibus, sed contendere per modum belli, tunc communiter omnes naves, quae nobis telonium exsolvere tenentur, si in Bardesvlete modo debito exsolverint, ratum et gratum habentes, contenti erimus, nec ipsis de hoc postmodum movebimus quaestionem ³⁹⁾".

Hoc

³⁷⁾ Origines Hamburg. ed. Fabric. L. II. p. 46.

³⁸⁾ Diplom. Stad. N. 27.

³⁹⁾ Confr. LAMBECIUS l. c. p. 64. ad annum 1268.

Hoc diploma mihi ante omnia demonstrare videtur:

- a) Archiepiscopos limitatam tantum habuisse potestatem, de urbe nostra disponendi.
- b) Ipsam itaque jus belli et pacis habuisse.
- c) Urbem eo tempore fuisse potentissimam, quia per tot annos bellum cum Hamburgensibus gerere potuit; aemula civitatis Hamburgensis nominatur, et cum ea aequo Marte dimicavit.

§. 31.

11. Superest, ut Hildeboldi diploma, jus monetas cudendi Stadensibus concessum continens, adferamus ⁴⁰). Jam (supra §. 15.) demonstravimus nummos Stadenses occurrere anno 1157. Jus cudendi monetas tunc temporis vero regale fuit ⁴¹), et nummos ex ejus loci nomine insignire consuetum erat, quo cuderentur. Itaque crediderim, hoc privilegium conventionem fuisse inter Hildeboldum et consules Stadenses, qua ipsis de consensu capituli Bremensis ob alia quaedam bona, ad capitulum a civibus translata, monetam Stadensem, usque hoc suis ministerialibus administratam relinqueret et civium administrationi committeret. Ii itaque magnopere errant, qui contendunt, Stadam ab antiquissimis temporibus, jus monetas cudendi habuisse. Stadenses hoc jure ante annum 1272 non utebantur, sed Archiepiscopus in eorum civitate jus monetas cudendi, exercebat. Haec mea sententia satis probatur his verbis diplomatis: "Monetam nostram Stadensem praedictis consulibus et burgensibus eorumque suc-
cesso-

⁴⁰) Diplomatarium Stadense. N. 28.

⁴¹) EICHHORN Rechtsgeschichte. II. §. 296.

cessoribus perpetuo reliquimus et eorum administrationi commisimus eo jure, quo nos et ecclesia Bremensis hactenus possedimus, libere et quiete, ut ipsi in praedicta moneta, jus cudendi denarios Stadenses albos, sive de puro argento, per lotonem, prout ipsi expedit civitati, secundum eorum beneplacita, liberam habeant facultatem".

CAPUT QUARTUM.

De Statutis urbis Stadensis.

§. 52.

His omnibus expositis, in eo sum, ut statuta ¹⁾ ipsa adeam, quae Consules et Cives sibi scripserunt anno 1279.

Nemo

¹⁾ Typis excubenda curaverunt: DE SENKENBERG in Select. jur. et historiar. T. VI. p. 267 seq. DE PUFENDORF Observ. jur. univers. T. I. App. p. 163. PÜTTER et DE GROTHAUS in Diss. de Stat. Stad. cum introductione historica. Gotting. 1766. NIC. ANT. HENR. JUL. DE GROTHAUS Eques Osna-brucensis, U. J. D. optime meritis de Stat. Stad., in curia Stadensi comparavit Cod. auth. cum editionibus, quas illi viri illustres ediderunt. Ad manus ei etiam erant duo codices membranacei, quae Buxtehudae asservantur; codex membranaceus qui olim ad J. v. d. Meden Cons. Stad. pertinuit et duo recentioris aetatis, alter Stadensis, alter Buxtehuda-nus, quorum omnium lectiones variantes summa diligentia in

Nemo unquam dubitavit, statuta hoc anno conscripta esse, excepto Sperlingio quodam, cujus vana et ridicula argumenta, quibus probare vult, statuta Stadensia a homine privato ex Hamburgensibus conscripta esse, saeculo forsan decimo quarto vel quinto, PÜTTERUS satis refutavit ^{2) *}). Codex authenticus, quem PÜTTERUS ³⁾, ἔκτυπον nominat, quia ἀρχέτυπον contritum et laceratum credit, in curia Stadensi cum caeteris privilegiis et antiquitatis documentis ex igne conservatis, sollicite custoditur. Formam ejus externam descripsissem, nisi jam PÜTTERUS labore supersedisset ⁴⁾). Codex membranaceus Statutorum Stadensium authenticus, scilicet centum et octo foliis constat, quorum quaevis pagina continet sexdecim lineas. Post ipsa statuta legitur recessus anno 1672 de senatorum electione eorumque jure jurando compositus; adjunctus est statutis ipsis in ultima codicis pagina adhuc vacua ⁵⁾); nam unamquamque partium nonnullae excipiunt paginae vacuae, forte ut illis committi possent, quae succedente tempore statuerentur. Forma foliorum est, quam quartanam majorem dicere solemus. Literis majusculis lectuque facilibus codicem scriptum esse, PÜTTERUS observat. Indices partium rubro picti sunt colore; litera initialis cu-

juscun-
in notis ad statuta collegit et lectionem cod. authent. saepissime restituit. Pluribus agit de diversis codicibus Stat. Stad. §. 18-25. Diss. cit.

²⁾ Diss. cit. §. 13 seq. ^{*}) HENRICI GIESEBERTI sententia (in Pericul. Stat. harmon. pract., in praef. ad lectores voce Stadense Stadtrecht) hic referenda non est, quia loquitur de Stat. Hamburgensibus anno 1497 conscriptis.

³⁾ Diss. cit. §. 4. ⁴⁾ Diss. cit. §. 2. 3. ⁵⁾ Diss. cit. pag. 5.

juscunque statuti viridi et rubro colore alternatim scripta est. Tectus est codex vestimento corneo; duabus ornatus argenteis fibulis et laminis, quibus clavis erecta, urbis signum, insculpta est. Munitus est singulari instrumento argenteo, eam ob causam, ut nemo, qui recludendi et reserandi artem ignoraverit, illum neque evolvere, neque quidquam ex eo delere, in eo mutare, aut in eum inferre potuerit. Nusquam in descriptione statutorum similia inveni; antiquitatem codicis mihi demonstrare videtur, quamquam PÜTTERUS credat, hunc splendorem a simplicitate et ruditate saeculi XIII. recedere. Sed illis temporibus nec ars aliena erat, nec incognitus ejus modi ornamentorum usus, quod ex tot missalium aliorumque magni pretii librorum splendidis involucris adparet; cives vero ejus temporis nihil sanctius cariusque habuerunt, ipsis legibus a se conscriptis.

§. 33.

A forma vero exteriori transeamus ad ea, quae in statutis descripta sunt. Speculum Saxonicum, statuta Lubecensia, Bremana, Hamburgensia et Rigensia cum statutis Standsibus contuli. Ea comparatione consecutus sum magnam omnino similitudinem inter omnia haecce legalia scripta intercedere, ut pro certo haberi possit, e communi quodam fonte ea provenire. Verum persuasum etiam mihi est, nullum eorum codicum caeterorum ipsum illum fontem communem haberi posse. Is, si in jure scripto civitatis alicujus antiquiori illis, quaerendus est, quod verisimillimum puto, hactenus nobis latet. Si vero, nullum omnino codicem scriptum statutis illis fundamento loco positum, sed ea quae

communia in ipsis habentur, ex communi ejus temporis Saxonico jure declaranda esse, autumes, quum id in omnes illas civitates auctoritatem suam extenderit, et hoc defendi poterit; subjiciendum tamen erit, quamcunque quis sententiam amplectatur, communi illi juri vel scripto, vel non scripto, quod prima elementa statutis modo nominatis supeditaverit, adjecta passim quaedam esse, verbotenus descripta, tum ex vicinarum urbium statutis, tum ex speculis juris medii aevi. Facile hoc adparebit, quum exponam, quae in singulis codicibus communia pluribus et quae peculiariter cuique habeantur. Quod ut commodius perspicere liceat, statutorum Stadensium oeconomiam primo loco describam. Quum enim constituerim, illam comparisonem cum lectoribus communicare, necesse erit, ordinem et partes statutorum Stadensium accuratius describere.

§. 34.

I. *Statuta Stadensia*, anno 1279 literis mandata sunt illorum ipsorum testimonio, quod principio eorundem continetur ⁶⁾).

Liber *) *primus* agit: "van Erve"; continet duodeviginti capita ordinaria, quibus successu temporis, sex additamenta, quae

⁶⁾ Juste judicate filii hominum. In dheme namen dhes uader vnde dhes sonen. vnde dhes hilleghen gestes sint dhesse ordele bescreuen. van den wittegheten rade van stadhe. vnde dher menen stat willen: vnde se ne mach oc neman bescelden bi siner woninge. sunder wedher in dhit boec.

In dheme iare van uses heren godes bort MCCLXXIX. in dheme meyge. dho wordhen dhe menen ratmanne vnde dhe wittegheten van desser stat to stadhe to rade.

*) Indices statutorum utuntur verbo: "STUCKE".

quae capita extraordinaria nomino, adjecta sunt. Non solum in his, sed etiam in multis aliis antiquioribus statutis talia invenimus.

Liber secundus agit: "van Delinghe", 18 capitibus ordinariis et 10 extraordinariis.

Liber tertius: "van Ghift", 8 capitibus ordinariis et duobus extraordinariis.

Liber quartus: "van Voremuntschap", 6 habet capita ordinaria, unum tantum extraordinarium.

Liber quintus: "van Scult", 29 in capita dividitur ordinaria et duo extraordinaria.

Liber sextus: "van Rechte unde van Slaghen", 26 capita habet ordinaria, 4 vero extraordinaria.

Liber septimus: "van Tughe", 21 constat capitibus ordinariis, et 7 extraordinariis.

Liber octavus: "van Dheneste", absolvitur capitibus ordinariis sex, et unum tantum habet caput extraordinarium.

Liber nonus: "van Ungerichte", 8 capita comprehendit ordinaria, uno capite extraordinario adjecto.

Liber decimus: "van Vorsate", omnium brevissimus, 4 continet capita ordinaria, accedunt vero 4 capita extraordinaria.

Liber undecimus: "van Dhuve unde van Rove", 11 habet capita ordinaria, quibus adduntur tria capita extraordinaria.

Patet, statuta nostra, copiosissimis et perfectissimis adnumeranda esse, omnia enim continent, de quibus fere omnes ejusmodi legum collectiones agere solent et multa

alia ⁷⁾. Libri undecim comprehendunt CLV capita ordinaria, quibus adduntur XLI capita extraordinaria.

§. 35.

His statutis simillima sunt ea, quibus Hamburgenses olim utebantur; Buxtehudana enim plane silentio praetereo, quia ex Stadensibus conscripta sunt. Codices Buxtehudani easdem habent partes et eadem capita, nonnullis quidem deficientibus ⁸⁾; sed quid ad additamenta pertinet, omnino fere Stadensibus dissimilia sunt. Convenientiam statutorum Stad. et Buxteh. nemo admirari potest, qui non ignorat, BURCHARDUM Archiepiscopum anno 1328 novum oppidum Buxtehudanum, a GISELBERTO Archiepiscopo exstructum, jure Stadano donasse. In literis suis his verbis usus est Archiepiscopus ⁹⁾: “Nos vero, praedictos cives, cupientes specialibus gratiis ac privilegiis ampliare, ipsis dimittimus et donamus justum jus Stadensis nostrae civitatis”. Quia vero invenimus, statuta Buxtehudana a Stadensibus in additamentis seu capitibus extraordinariis distare, sequitur, maxima ex parte post annum 1328 adscripta esse Stadensibus.

§. 36.

II. Hamburgensia Statuta et Stadensia maxima ex parte inter se conveniunt, si singula, non vero ordinem et numerum

⁷⁾ EICHHORN Rechtsgeschichte. III. §. 434. not. b.

⁸⁾ PÜTTER et GROTHAUS Diss. cit. §. 19. 20.

⁹⁾ Buxtehud. Urkunden N. 5. Vid. Herzogth. Brem. und Verd. T. IV. p. 194.

rum librorum inspiciamus *). Liber secundus Stat. Hamburg. "van Ervetinsz" et liber decimus tertius "van Schiprechte" a statutis Stadensibus abest. Codices anno 1270 et 1276 conscriptos respicio, caeteri plane mutati et aucti anno 1292 et 1497 huc non pertinent ¹⁰).

Librum primum statutorum Stadensium a capite secundo usque ad finem sequitur liber primus Stat. Hamburg. a capite sexto ad finem usque.

Librum secundum continet liber tertius Stat. Hamburg.; series capitum VIII. IX et X. mutata est; caput XVIII. invenimus Lib. VI. c. 7. Stat. Hamb.

Liber tertius Stat. Stad. et liber quartus Stat. Hamb. inter se conveniunt.

Liber quartus Stat. Stad. sequitur librum quintum Stat. Hamb.

Librum quintum continet liber sextus Stat. Hamb., attamen cap. VII. XXXI. XXXII et XXXIII. in Stat. Stad. vacant.

Librum sextum maxima ex parte comprehendit liber nonus Stat. Hamburg., qui triginta habet capita. Attamen cap. I. II. III. Stat. Stad. in Hamb. non occurrunt. Cap. IV. Stat. Stat. et cap. I. Stat. Hamb. inter se conveniunt. — Cap. V-XII. Stat. Stad. respondent cap. VI-XIII. Stat. Hamb. — Cap. XIII et XIV. Stat. Stad. confr. cap. XV et XVI. Stat. Hamb.

*) Statuta Hamburgensia continent tredecim libros.

¹⁰) Hamburgische Statuten v. d. Jahren 1270. 1276. 1292 et 1497. nach Original und andern Handschriften herausgegeben und mit einigen Anmerkungen begleitet von Dr. C. D. ANDERSON. Hamb. 1782.

Hamb. — Cap. XV-XXV. Stat. Stad. confr. cap. XVIII-XXVIII.
Stat. Hamb. — Cap. XXVI. Stat. Stad. confr. cap. XXX. Stat.
Hamb.

Liber septimus Stat. Stad. maxima ex parte sequitur li-
brum septimum Statut. Hamb. viginti capita continentem.
Cap. XVIII-XXI. Stat. Stad. vacant in Stat. Hamb. — Cap.
I. IV. X. Stat. Hamb. non exstant in Stat. Stad.

Liber octavus Stat. Stad. et liber octavus Stat. Hamb.
inter se conveniunt.

Liber nonus Stat. Stad. confr. cum Lib. X. Stat. Hamb.,
qui inter se conveniunt.

Liber decimus Stat. Stad. excipit librum undecimum
Stat. Hamburg. Attamen cap. IV. Stat. Stad. hujus libri inve-
nimus Lib. XII. c. 9. Stat. Hamburg.

Liber undecimus Stat. Stad. et duodecimus Stat. Hamb.
inter se conveniunt. Cap. IX. hujus libri Stat. Hamburg. confr.
Lib. X. c. 4. Stat. Stad. quo ordo mutatur. Cap. XIII. Stat.
Hamb. in Stat. Stad. non occurrit.

Saepissime Statuta Stadensia et Hamburgensia iisdem
utuntur verbis: ex. gr. Stat. Stad. Lib. I. 9. confr. Stat. Hamb.
Lib. I. 13. — Stat. Stad. Lib. II. 4. cfr. Stat. Hamb. Lib. III.
4. — Stat. Stad. Lib. III. 2. cfr. Stat. Hamb. Lib. IV. 2. —
Stat. Stad. Lib. IV. 5. cfr. Stat. Hamb. Lib. V. 5. — Stat.
Stad. Lib. V. 13. cfr. Stat. Hamb. Lib. VI. 14. — Stat. Stad.
Lib. VI. 17. cfr. Stat. Hamb. Lib. IX. 20. — Stat. Stad. Lib.
VII. 3. cfr. Stat. Hamb. Lib. VII. 5. — Stat. Stad. Lib. VIII.
5. cfr. Stat. Hamb. Lib. VIII. 5. — Stat. Stad. Lib. IX. 1. cfr.
Stat. Hamb. Lib. X. 1. — Stat. Stad. Lib. XI. 2. cfr. Stat.
Hamb. Lib. XII. 2. —

Maxima ex parte vero, non verba sed sensum tantum exprimunt, quo Stat. Stad. majori utuntur brevitate.

Magistratus eosdem in Stat. Stad. et Hamb. invenimus, ut sunt "vogt, ratmanne, wittegesten van desser stat, gance rade"; verbum vero: "borgemester" in Stat. Stad. nusquam occurrit, quo Hamburgensia utuntur.

§. 37.

III. *Statuta Rigensia.* PÜTTERUS et DE GROTHAUS crediderunt ¹¹⁾, Statuta Rigensia fontem esse Stat. Stad. et Hamb. communem. Satis autem demonstravit celeberrimus OELRICHS, de fontibus juris Germanici vir optime meritus ¹²⁾, Stat. Rigensia conscripta demum esse anno 1542 et eum Stat. Rig. codicem, quem PUFENDORFIUS ¹³⁾ edidit sub titulo Stat. Rigensium, codicem ipsorum Statutorum Hamburgensium esse, omni divisione destitutum. Accuratissima comparatione Stat. Hamb. et eorum, quae invenimus apud PUFENDORFIUM l. c. persuasum mihi est, veram esse illam opinionem, quia in omnibus plane conveniunt, paucis exceptis. Statuta Rigensia genuina, quae edidit OELRICHS, ex Stat. Stadensibus, Bremanis et Hamburgensibus conscripta esse videntur, quorum convenientiam satis demonstravit in notis illis subjectis. Attamen multa continent singularia; libros habent undecim et CCH capita, quorum nonaginta et septem in Stat. Stad., Brem. et Hamb. invenimus. Etsi autem ea
statuta

¹¹⁾ Diss. cit. §. 12.

¹²⁾ Dat Rigische Recht und de gemenen Stichtischen Rechte ym Sticht van Ryga cet. Brem. 1773. Praefatio Not. b.

¹³⁾ PUFENDORF obs. jur. univ. III. App. p. 222.

statuta ad saeculum decimum sextum referenda sint, nonnulla tamen afferam eorum capita, quae ad Stadensia pertinent.

Primi libri titulus est: "Des Rades Boick"; triginta habet capita, quorum septemdecim in Stat. Stad. invenimus, confr. e. g. Lib. I. 11. Stat. Stad. c. 14. Lib. I. Stat. Rig. — Lib. V. 9. Stat. Stad. c. 3. Lib. I. Stat. Rig. — Lib. VI. 13. Stat. Stad. c. 12. Lib. I. Stat. Rig. — Lib. VII. 6. Stat. Stad. c. 19. Lib. I. Stat. Rig. —

Liber secundus, "des Vagdes Boick", viginti et septem continet capita, quorum duodecim in Stat. Stad. occurrunt: confr. e. g. Lib. V. 7. Stat. Stad. c. 11. Lib. II. Stat. Rig. — Lib. VI. 22. Stat. Stad. c. 1. Lib. II. Stat. Rig. — Lib. VII. 3. Stat. Stad. c. 12. Lib. II. Stat. Rig. —

Liber tertius, "van Tughen", septemdecim absolvitur capitibus, quorum decem ex Stat. Stad. conscripta esse videntur: confr. e. g. Lib. V. 20. Stat. Stad. c. 1. Lib. III. Stat. Rig. — Lib. VII. 8. Stat. Stad. c. 6. Lib. III. Stat. Rig. —

Liber quartus, "van Erve", septemdecim constat capitibus, quorum sex invenimus in Stat. Stad. confr. e. g. Lib. I. 1. Stat. Stad. c. 2. Lib. IV. Stat. Rig.

Liber quintus, "van Echtscop der guder halven"; viginti et unum habet capita, septem vero ex Stat. Stad. confr. e. g. Lib. II. 1. Stat. Stad. c. 1. Lib. V. Stat. Rig.

Liber sextus, "van Echtscop der frige guder halven"; duodecim habet capita, quorum tria ex Stat. Stad. descripta esse videntur; confr. e. g. Lib. VIII. 1. Stat. Stad. c. 8. Lib. VI. Stat. Rig. — Lib. VIII. 3. Stat. Stad. c. 7. Lib. VI. Stat. Rig. —

Liber septimus, "van Voremundscop und Testamenten", tredecim habet capita; in duobus Stat. Stad. et Rig. inter se conve-

conveniunt: confr. Lib. II. 18. Stat. Stad. c. 6. Lib. VII. Stat. Rig. — Lib. IV. 1. Stat. Stad. c. 4. Lib. VII. Stat. Rig. —

Liber octavus, “van Verfelschunge”, septem continet capita, quorum tamen nullum inveni, quod cum Stat. Stad. conveniret.

Liber nonus, “van Vorsate, Blaue und Blüth”, viginti et sex absolvitur capitibus, quorum novem ex Stat. Stad. desumpta videntur; confr. e. g. Lib. XI. 2. Stat. Stad. c. 11. Lib. IX. Stat. Rig.

Liber decimus “van Rovern und Deven”, septem continet capita, nulla vero ex Stat. Stad.

Liber undecimus, “van Schiprecht”, viginti et duobus capitibus constat; ex jure Wisbycensi, juris hanseatici navalis fonte communi conscriptus est ¹⁴⁾).

Hoc modo statutorum Rigensium convenientia cum Stadensibus satis demonstrata est, et persuasum mihi, praecipue ea statuta Stadensia sequi; capita enim continent, quae in Hamburgensibus nusquam occurrunt: cfr. ex. gr. L. I. 1. Stat. Stad. L. IV. 2. Stat. Rig. Manifestum inde est, jus Stadense celeberrimum eo tempore in regiones transmarinas migrasse. Neque est quod miremur, si meminerimus, Episcopos Bremenses primos christianam religionem in Livonia propagasse ¹⁵⁾, et omnes tunc temporis civitates foederi hanseatico adscriptas arcte sibi conjunctas fuisse. Antiquum et Stadensibus cum Rigensis civitatis incolis commercium fuit, ipsis statutis testibus;

¹⁴⁾ BROKES tres antiq. codd. jur. Lub. pag. 24 seq. cfr. ejus praef. ad select. observ. forens.

¹⁵⁾ LAPPENBERG Grundrifs l. c. T. II. p. 294.

stibus; in Stat. Stadensibus enim haec verba invenimus: "So welc use borghere wil in pelegrimare over mer, ofte to sunte Jacope; ofte to user vruwen to retzemedum, ofte to righe cet" ¹⁶⁾).

§. 38.

IV. Transimus ad statuta civitatis Bremensis; vicina sunt Stadensibus, iisque simillima. Statuta Bremana antiquissima, quae exstant, conscripta sunt ¹⁷⁾, anno 1303, recentiora anno 1428, novissima vero 1433. Antiquissima sola sunt, quae huc pertinent. Attamen non omnium prima crediderim, nam urbes tantae celebritatis, sedes Archiepiscoporum, jam longe antea statuta conscribere solebant ¹⁸⁾. Nec aliud suspicari permittunt privilegia Archiepiscopi Gerhardi anno 1259 Verdensibus concessa, quibus cives hujus civitatis ad jura Bremana his verbis ablegat ¹⁹⁾: "Item si aliquis — — cet — — debet habere recursum ad Bremensem civitatem et infra XIV dies eandem sententiam invenire". Vix enim credendum est, jura civitatis cujusdam alteri concessa esse, quae scripta nondum exstarent; et si factum esset, mox literis mandaturi fuissent cives, necesse est, desiderantibus illis, quibus data erant, quod notissimum codicum juris Lubecensis historia constat. Illos enim antiquissimos, qui ad
nos

¹⁶⁾ Stat. Stad. in fin. indicis Tit.: Dit het vlotvorigheyt.

¹⁷⁾ D. GERH. OELRICH'S vollständige Sammlung alter und neuer Gesetzbücher der freien Reichsstadt Bremen. 1771.

¹⁸⁾ Cfr. EICHHORN Rechtsgeschichte. T. II. §. 224 a. Not. b.

¹⁹⁾ VOGT monumenta ined. rer. Germ. praecipue Bremensium. T. I. pag. 256.

nos perlati sunt, Lubecenses desiderio civitatum Lubecensi jure donatarum cum hisce communicarunt.

Divisio in libros in statutis Bremanis non occurrit; at tamen quatuor in partes dividi solent. Prima pars continet decem capita. Secunda quindecim capitibus absolvitur et titulum habet "van Notwere". Tertia pars quae inscripta est: "Dat erste stücke van den statuten"; triginta habet capita. Quarta pars omnium copiosissima continet: "de menen ordele" CXXVI. capitibus, quorum magnam convenientiam cum Stat. Stad. accuratius demonstrabo. Quadraginta et tria capita occurrunt, quae cum Stat. Stad. congruunt, eaque maxima ex parte una serie, a cap. LXVIII. usque ad cap. CXIII. decurrunt ²⁰⁾ cfr. itaque:

Lib. I. cap. 1 a. 3 b. 5 c. 17 d. Stat. Stad. confr. cap. 68 a. 69 b. 70 c. 111 d. Stat. Brem. Mene Ordele.

Lib. III. c. 8. Stat. Stad. confr. c. 110. Stat. Brem. Mene Ordele.

Lib. V. cap. 12 a. 14 b. 15 c. 17 d. 18 e. 19 f. 21 g. Stat. Stad. confr. cap. 103 a. 104 b. 105 c. 106 d. 107 e. 108 f. 109 g. Stat. Brem. Mene Ordele.

Lib. VI. cap. 8 a. 9 b. 10 c. 11 d. 12 e. 14 f. 15 g. 16 h. 17 i. 18 k. 19 l. 20 m. 21 n. 22 o. Stat. Stad. confr. cap. 88 a. 89 b. 90 c. 91 d. 92 e. 94 f. 96 g. 17 h. 97 i. 98 k. 113 l. 99 m. 100 n. 101 o. Stat. Brem. Mene Ordele.

Lib. VII. c. 12. 16. Stat. Stad. confr. c. 64. 82. Stat. Brem. Mene Ordele.

Lib.

²⁰⁾ OELRICH'S Brem. Statuten pag. 104 seq. et Index I. Stat. Brem. eod.

Lib. VIII. c. 1 - 5. Stat. Stad. confr. cap. 83 - 87. Stat. Brem. Mene Ordele.

Lib. IX. c. 5. Stat. Stad. cfr. c. 102. Stat. Brem. Mene Ordele.

Lib. X. c. 4. Stat. Stad. cfr. c. 78. Stat. Brem. Mene Ordele.

Lib. XI. cap. 1 a. 2 b. 4 c. 5 d. 6 e. 7 f. 8 g. 11 h. Stat. Stad. cfr. cap. 71 a. 72 b. 73 c. 74 d. 75 e. 76 f. 77 g. 79 h. Stat. Brem. Mene Ordele.

Nonnunquam Bremenses verbis Stat. Stadensium utuntur, attamen nunquam fere ea brevitate, qua Stat. Stadensia conscripta sunt. Cfr. ex. gr. capita citata libri primi.

Verdensia statuta silentio praetereo, quia ex Bremanis descripta sunt. Nemo de hac re unquam dubitavit, exempla igitur afferre superfluum puto ²¹⁾).

§. 39.

V. His omnibus antiquiora sunt statuta Lubecensia, in eunte saeculo decimo tertio ²²⁾ conscripta, postea vero saepissime mutata et aucta.

Non-

²¹⁾ OELRICH'S Sammlung der Brem. Gesetze, praef. p. 31. et eorum harmoniam in singulis statutorum capitibus satis demonstravit. Antiqua statuta Verdensia anno 1530 conscripta vid. VOGT monumenta inedita T.I. p. 276. Nova post annum 1453 descripta vid. PUFENDORF obs. jur. univ. T.I. App. N. 3.

²²⁾ EICHHORN Rechtsgeschichte T.II. §. 263. N. h. Cfr. RICCIUS von Stadtgesetzen p. 80 seq.

Nonnulla loca afferam, quae in utroque jure Lubecensi et Stadensi occurrunt, ordine statutorum Stadensium observato; nam jus Lubecense omni divisione in libros destitutum est ²³). Ex. gr. Lib. I. 1. Stat. Stad. cfr. Art. 26. Stat. Lub. Cod. I. — L. II. 11. Stat. Stad. cfr. Art. 14. Stat. Lub. Cod. I. — L. V. 12. Stat. Stad. cfr. Art. 39. Stat. Lub. Cod. I. — L. VI. 15. Stat. Stad. cfr. Art. 79. Stat. Lub. Cod. I. — L. VII. 16. Stat. Stad. cfr. Art. 25. Stat. Lub. Cod. II. — L. VIII. 1. Stat. Stad. cfr. Art. 260. Stat. Lub. Cod. II. — L. IX. 5. Stat. Stad. cfr. Art. 369. Stat. Lub. Cod. III. — L. X. 4. Stat. Stad. cfr. Art. 237. Stat. Lub. Cod. II. — L. XI. 2. Stat. Stad. cfr. Art. 273. Stat. Lub. Cod. II. —

Talem equidem consensum Stat. Lubecensium et Stadensium non invenio, qualem multi iis inesse credunt. Verbis nunquam conveniunt, sensu quidem saepius; attamen additamenta juri Lub. interdum adjecta, singula saepissime statuta ita commutant, ut omni similitudine careant. Itaque persuasum mihi est, Stadenses statuta conscribentes jure Lubecensi nusquam usos esse.

§. 40.

VI. Major est Statutorum Stadensium convenientia cum Speculo Saxonico in rebus et in verbis, ut cum aliqua veri specie negari non possit ²⁴), statuta nostra partim ex illo de-

²³) Secutus sum eam juris Lub. editionem, quam lingua Sax. inf. scriptam, HENR. BROKES selectis observat. for. III. codd. adjecit.

²⁴) EICHHORN Rechtsgeschichte. II. §. 284, cum notis.

descripta esse. Itaque ex. gr. Lib. II. 14. Stat. Stad. cfr. Art. 22. Lib. I. Spec. Sax. — Lib. III. 8. Stat. Stad. cfr. Art. 38. Lib. III. Spec. Sax. — Lib. VI. 12. Stat. Stad. cfr. Art. 39. Lib. III. Spec. Sax. — Lib. VI. 18. Stat. Stad. cfr. Art. 60. Lib. II. Spec. Sax. — Lib. VIII. 1. Stat. Stad. cfr. Art. 32. Lib. II. Spec. Sax. — Lib. VIII. 2. Stat. Stad. cfr. Art. 22. Lib. I. Spec. Sax. — Lib. XI. 8. Stat. Stad. cfr. Art. 13. Lib. II. Spec. Sax. — Lib. XI. 11. Stat. Stad. cfr. Art. 5. Lib. III. Spec. Sax. Praeterea cum legibus Frisiae ²⁵⁾ et Jutlandiae ²⁶⁾ statuta nostra comparavi, attamen illis similia non inveni, exceptis iis, quae in statutis fere omnis Germaniae occurrunt.

§. 41.

Statutis Stadensibus iterum iterumque perlectis et cum aliis, tam vicinis quam remotioribus, comparatis, in eo sum, ut sententiam, quam de eorum origine et fonte foveam, fuis demonstrem.

1) Supra (§. 15 seq.) probatum est, Stadam antiquissimis Saxoniae urbibus, adnumerandam esse; cujus rei testes sunt et Chronographi et literae authenticae multorum diplomatum.

2) Demonstravimus ex privilegiis Gerhardi et Ottonis anno 1204 et 1209, jam tunc temporis Stadam certa habuisse jura, a principibus concessa et confirmata (cfr. §. 20.).

3)

²⁵⁾ Asega - Buch, ein alt friesisches Gesetzbuch der Rustringer, herausgegeben von T. D. WIARDA.

²⁶⁾ Das jütische Low, aus dem Dänischen übersetzt von BLASIUS ECKENBERGER, herausgegeben von D. N. FALCK,

5) Codici statutorum authentico, annum 1279, quo confectus est, adscriptum invenimus (supra §. 52 et 34.). Attamen ex ipsis statutorum verbis manifestum esse videtur, statuta ea quae exstant, non omnium esse prima: confr. Lib. II. 4 et 13., ubi haec verba occurrunt: "Na stat rechte et vorth to varende, also stat rechte is". Quid etiam verisimilius est, quam quod urbs tantae celebritatis, quae jam ante saeculum XIII. jure civitatis utebatur, cujus consules jam anno 1225 (§. 21. supra) occurrunt *), eo tempore statuta conscribi curaverit, quo plures civitates antiquissimae consuetudines et privilegia colligere solebant²⁷⁾. Itaque crediderim, statuta quae exstant anni 1279, veterum statutorum repetitam esse praelectionem. Hoc enim tempore omnes fere civitates statuta auxerunt et emendaverunt, tum ex speculis, tum autem praecipue ex aliis Germanici juris monumentis.

4) Quaeramus autem oportet, quibusnam auxiliis et legibus Stadenses ad augenda et emendanda antiqua statuta usi sint, eam praecipue ob causam, ut definiamus ad quae alia, ante illis comparata proxime accedant; quia antea operam dedimus, multis aliis statutis non dissimilia esse, demonstrare.

§. 42.

*) Attamen PÜTTERUS in errore captus est, si §. 7. Diss. cit. allegat LAMBECIUM (rer. hamb. p. 74. ed. 1706) nomina trium consulum Stadensium anno 1206 viventium memorantem; hi enim consules floruerunt circa annum 1289; confr. LAMBECIUS l. c.

²⁷⁾ EICHHORN Rechtsgeschichte II. §. 284.

Quatuor ex partibus itaque Statuta Stadensia composita esse crediderim:

- 1) ex consuetudinibus, quae ab antiquissimis temporibus inter incolas oppidi Stadani vim legis acceperant; confr. e. g. c. 1. Lib. I. — c. 18-21. Lib. VII.
- 2) Ex iis juribus et juris beneficiis, quae Stadensibus ab Imperatoribus, Archiepiscopis et caeteris principibus vel concessa, vel confirmata erant.

Cfr. ex. gr. L. VI. 3. Stat. Stad. c. IV-VI. Priv. Otton. c. IV-VII. Priv. Hildeb. — L. VII. 7. Stat. Stad. cfr. c. X. Priv. Otton. c. XII. Priv. Hildeb. — L. VII. 14. Stat. Stad. cfr. c. VII. Priv. Otton. c. IX. Priv. Hildeb. —

His duabus ex partibus antiquissima Stat. Stadensia conscripta fuisse crediderim, iisque postea, fine forte saeculi decimi tertii adjecta:

- 3) ea capita, quae etiam inveniuntur in speculis saeculi XIII.; nam statuta omnium fere urbium hoc tempore emendata et aucta sunt ex his fontibus juris mere Germanici²⁸⁾. Et convenientia Speculi Saxonici cum Stat. Stad. nullo modo negari potest (supra c. 40.).

- 4) In Stat. Stad. leges et juris regulae conscriptae sunt, quas in omnibus fere statutis hujus regionis contentas esse, intelligimus. Quonam vero ex fonte originem trahant, certo nunquam manifestum erit. Attamen crediderim, statuta civitatis Bremensis omnium esse antiquissima, constat enim, Bremenses jam longe ante annum 1303, quo ea statuta, quae exstant conscripta sunt, certa

²⁸⁾ EICHHORN eod. N. b. et f.

certa jura et certas justitias habuisse (§. 38. supra). Brema jam Caroli Magni temporibus sedes erat episcoporum et usitatissimum est, ut statuta urbium tantae celebritatis recepta sint a civitatibus minoribus. Sed nullo modo contendo, statuta Bremana ipsum esse illum fontem communem; fonti communi vero omnium proxima ea credo.

§. 43.

Statutorum Hamburgensium et Stadensium convenientia tam magna est, ut saepissime verbis consonent (supra §. 36.); eum vero magno errore captum credo, qui eam ob causam existimet, Stadensia ex Hamburgensibus conscripta esse: nam:

- 1) Concinnam brevitatem, antiquitatem prodere, tritum et vulgare est assertum; Statuta vero Hamburgensia plura ita declarant, ut verba, quae in Stadensibus expressa sunt, ampliata et illustrata videantur. Cfr. ex. gr. L. II. 9. Stat. Stad. L. III. 10. Stat. Hamb.
- 2) Poenae pecuniariae in Stat. Stad. minores sunt, majores in Hamburgensibus; pro una marca tres plerumque substituuntur. Cfr. ex. gr. L. I. 6. Stat. Stad. L. I. 10. Stat. Hamb. Et hoc superiorem aetatem dictarum mulctarum indicare videtur, non imparem fortunam civium; civitas enim Hamburgensis tunc temporis nullo modo Stadam divitiis et potentia incolarum superavit; bellum potius multis annis gesserunt, aequo Marte dimicantes (cfr. §. 29. supra). Et occurrunt quod magis est etiam in Stat. Stad. poenae pecuniariae Hamburgensibus omnino aequales, non vero in capitibus ordinariis, sed in iis

tantum, quae postea successu temporis, mutato igitur auri argentique valore, addita sunt. Itaque crediderim, Hamburgenses potius ex jure Stadensi statuta sua maxima ex parte conscripsisse. Copiosius vero singula statuta saepissime exposita sunt; sensus accuratius definiendi causa libris singulis plura capita accesserunt, universus denique Stat. Hamb. codex libro II et XIII. auctus est.

Obstare videtur, quod in codice Stat. Hamburg. expressum sit, anno 1270 ita statutum esse, in Stadensibus vero annus 1279 nominetur, quo leges literis mandatae sint. Jam supra vero demonstravimus, nec statuta Bremana nec Stadensia antiquissima hodie exstare. Subsistendum igitur videtur in argumentis, quae ex interna utriusque statuti conditione elici possunt, quibus rite perpensis, statuta Hamburgensia nec Bremanorum, nec Stadensium aetatem attingere putaverim *).

*) E. J. WESTPHALEN Monum. inedit. rer. Germ. T. IV. p. 2084. in Not. ad Stat. Hamburg. impugnat quidem argumenta OTT. SPERLINGII, sed non concedit, statuta Hamburgensia aetate superari a Stadensibus.

PARS POSTERIOR.

**DE JURE ET SUCCESSIONE CONJUGUM IN BONA,
SECUNDUM STATUTA STADENSIA
ANTIQUA.**

PARS POSTERIOR.

DE JURE ET SUCCESSIONE COMMUNUM IN BONIS

STADIIANIS.

ACTIO I.

DE JURE ET SUCCESSIONE CONJUGUM IN BONA,
SECUNDUM STATUTA STADENSIA ANTIQUA.

CAPUT PRIMUM.

De communionem bonorum in genere ejusque origine.

§. 44.

Antequam de jure Stadensi dicamus, ad originem communionis bonorum, quae ex moribus Germaniae inter conjuges intercedere solet, animum advertere opus est. Antiqua de hac re inter scriptores juris Germanici controversia est, quum alii communionem bonorum ab antiquissimis inde temporibus apud Germanos in usu fuisse affirmant, alii id omnino negent¹⁾. Quum dissertationis spatio arcte circumscripto omnium opiniones hic recensere et perpendere prohibear, quid mihi de primis instituti vestigiis videatur exponere, adlatis quibus sententia mea nititur argumentis sufficiat.

§. 45.

¹⁾ Cfr. WESTHUS Diss. de origine communionis bonorum. §. 14-23. Cfr. P. C. SCHERER verworrene Lehre der ehel. Gütergemeinschaft. T. I. §. 7-17.

§. 45.

Manifestum autem in primis, speculis juris mediæ ævi inspectis, cuique videbitur, a jure provinciali ejus temporis alienam fuisse veram bonorum inter conjuges communionem; id si eo nomine nobis veniat, quod hodie illo insignire solent. Qui enim de ea exposuerunt, omnes uno ore veram ejusdem notionem in condominio quaerunt, quo conjugibus bona vel omnia, vel quaedam eorum propria sint; bona vero *communia* conjugum nec speculum Saxonicum agnoscit nec jus provinciale Alemannicum. Utrumque de solo mariti jure in bona uxoris verba facit, et illius in ea potestatem non ex dominio repetit, sed ex tutela deducit, cui uxor subjecta inveniatur. Hujus eam vim esse traditur, ut in unum quasi corpus utriusque conjugis bona coalescant, marito quidem jure dato id administrandi, fructusque pro lubitu dispensandi, manente tamen uxoris in bonis illatis dominio, quod in maritum omnino transire nequit²⁾, quamvis et eas res alienandi potestatem habeat, certis modo limitibus circumscriptam. Ea in omnibus etiam statutis antiquioribus instituti ratio reperitur, quae sensim demum eo immutata est, ut in veram bonorum communionem conjugum jura abierint; quod

2) Specul. Sax. L. I. art. 51. in fin. Swen eyn man wiph nimt so nimt her in sine were zu rechter vormuntschaft, darumme ne mach nichen wiph irme manne nicheyne gabe geben an irme eigene. noch an varrender have. daz se iz iren rechten erven mede verne nach irme tode. went der man ne kan an sinis wibis gude nicheyne andere were winnen wen als her zu deme ersten mit ir untfinc in vormuntschaft.

quod quum a recentioribus de illa materia scriptoribus fuse demonstratum sit, iterata argumentorum collatione superseedere possum *). Errore igitur lapsi nobis videntur, qui ubique quondam communionem bonorum universalem inter conjuges obtinuisse contendunt et abrogatam eam censent, ubi hodie non deprehenditur ³⁾. Invertunt et ii veram institutionem, qui ubi retentum videmus antiquioris juris systema, simillimaque illis, quae a speculatoribus traduntur, conjugum jura describuntur, lucem afferre ejusmodi statutis intendunt ex nostratum de communione bonorum doctrina.

§. 46.

In definienda communione bonorum duplex ejusdem ratio discernenda est. Quibusdam enim legibus bona conjugibus pro partibus quotis propria sunt, vel aequalibus, vel inaequalibus; cujus instituti in statutis Stadensibus nec volam nec vestigium habemus, quare nec naturam ejus ulterius prosequi ex re esse videtur. Altera communionis species ea est, qua utrique conjugi eo modo bonorum proprietas tribuitur,

*) Celeb. EICHHORN et HASSE, qui quamvis de tempore, quo ea instituti conversio contigerit, non idem omnino sentiant, nec de omni instituti ratione plane convenient, uterque tamen communionem ex primitiva illius indole paulatim demum exortam esse, satis, ut puto, probaverunt. Cfr. EICHHORN Rechtsgeschichte. T. III. §. 451-453. Cfr. HASSE Revision der bisherigen Theorie v. d. Gemeinschaft der Güter. 1808. Cfr. HASSE Skizze des Güterrechts der Ehegatten; vid. Zeitschrift für geschichtl. Rechtsw. T. IV. coll. 1. pag. 60 sq.

³⁾ Cfr. LANGE Rechtslehre von der Gemeinschaft der Güter. Hauptst. I. §. 10. HEINECCI elementa jur. Germ. L. I. T. 12. §. 266. Cfr. LANGE l. c. §. 3.

tur, ut unius personae jure aestimentur, quae tamquam dominus de illis disponat, integraque in ea dominii potestate polleat. Condominium quod utrique in solidum competit, hoc vocare solent, apte nullo modo, sed ne recte quidem, nisi ita vocabuli significationem explices, uti modo exposuimus. Dominium enim duorum in solidum non solum juris Romani doctrina subsistere nequit; sed omnino dominii naturae adversum est, quod luculentissime demonstravit HASSE⁴⁾, cujus in communione bonorum illustranda collocata opera plurima ejus materiae capita erroribus liberata sunt. Inest ejusmodi instituto simile quidquam juris Romani antiqui rationi, quum uxor in manus mariti convenisset⁵⁾; propius tamen accedere videntur, qui inde proficiscebantur matrimonii effectus, ad antiquius juris Germanici systema, quod in speculis describitur, quam ad hodiernam bonorum communionem.

§. 47.

Illud jus vero, quod utrique conjugum secundum vulgarem illum loquendi usum in solidum competit, vel ad omnia omnino bona extensum, vel ad certa tantum et determinata restrictum esse potest; itaque recte quidem distinguunt inter communionem bonorum universalem et particularem, cujus species communio aquaestus conjugalis saepissime occurrit. Fusius jam explicandum est, quae jura illa contineantur; quod difficillimum dici potest, si generali quadam

⁴⁾ HASSE Theorie der Gütergemeinschaft. §. 10. 11.

⁵⁾ HUGO Lehrbuch d. Geschichte d. Röm. Rechts. Ed. VI. §. 74. 117. 196.

dam definitione ea complecti velis, quum institutum per totam fere Germaniam inter conjuges introductum, in diversas plane formas et figuras abierit ⁶⁾. Generaliter tamen statuendum erit, 1^{mo} inesse cuique verae bonorum communioni, non solum proprietatis communicationem, sed et obligationum, quae ad conjuges tamquam personam juridicam pertineat; 2) ejus personae nomine, maritum, vi potestatis maritalis, agere, contrahere obligationes et acquirere jura, alienare etiam, et de proprietate disponere, quamvis singulari legum dispositione potestas ejus circumscripta saepissime inveniatur; 3) praesumendum esse, pro ea mariti disponendi et agendi facultate, quum ea ex origine instituti proficiscatur, et ad veram ejusdem indolem referenda sit, donec de contrario legibus introducto constet.

§. 48.

Quum statuta imprimis nostra non multum a principiis speculo Saxonico propositis recedant, itaque ex illo potissimum declaranda sint, paucis exponamus, quae de hac materia ibidem inveniuntur. Maritus igitur jure Saxonico, non solum uxorem in qualibet actione in judicio repraesentavit, sed etiam omnia ejus bona in suam recepit tutelam, quare conjuges durante matrimonio, bona possederunt omnino indivisa.

⁶⁾ Cfr. J. A. HOFMANN Handbuch des deutschen Eherechts. Hauptst. 16-43. pag. 404-717. SCHERER verworr. Lehre d. ehel. Gütergemeinschaft. T. I et II. LANGE Gemeinschaft der Güter. pag. 11-51.

divisa⁷⁾). Cum tutela conjuncta est bonorum administratio eorumque ususfructus. Maritus disponere potuit de iis bonis uxoris, quae non erant hereditaria; itaque speculorum verba demonstrant, *durante* matrimonio *omnia* bona, mariti administrationi subjecta esse. Matrimonio vero *soluto* alterutrius conjugum morte, superstes et defuncti heredes bona dividerunt. Quod si morte mariti factum esset, ut matrimonium dissolveretur, uxor sua bona recepit, quae durante matrimonio maritus administraverat; geradam nempe et morgengabam et quasdam res lege definitas ex universis bonis tempore mortis mariti potestati subjectis ante omnia sustulit; deinde bona hereditaria sua propria recepit, si in matrimonium, quod raro evenit, hujus generis bona intulerat. Uxore defuncta omnia ejus bona mobilia retinuit maritus, quae hoc usque administraverat; bona hereditaria vero proximo cognato et omnia, quae ad geradam pertinent, proxima cognatae uxoris competiverunt. Finito matrimonio uxor nullo modo obligata erat, ad debita mariti solvenda; aliud vero obtinuit durante matrimonio vi potestatis maritalis⁸⁾, quum alienatio rerum mobilium ab uxore illatarum, urgente necessitate marito competeret. Memores tamen nos esse oportet, eam mariti potestatem, finito matrimonio, etiam finitam fuisse, ideoque quum uxor obligationibus mariti non teneretur, bona quae ad eam pertinerent, libera fuisse ab
omni

⁷⁾ Cfr. Spec. Sax. I. a. 31. 45. 46. Spec. Suv. a. 313.

⁸⁾ Spec. Sax. III. a. 74. 76. I. a. 20. 24. cfr. I. a. 27. Cfr. EICHHORN Rechtsgeschichte. T. II. §. 369. Cfr. HASSE Skizze des Güterrechts der Ehegatten, vid. Zeitschrift für geschichtl. Rechtswissensch. T. IV. coll. 1. p. 60 seq.

omni jure, quod creditoribus mariti in illis competere potuisset. Adparet igitur, matrimonio soluto, bona in eas partes semper dissoluta esse, quae ante matrimonium cuique propriae fuerant.

CAPUT SECUNDUM.

*De jure conjugum durante matrimonio ex jure
Stadensi.*

§. 49.

His expositis ad statuta Stadensia accedimus. Usque hoc illa statuta antiquissima (cfr. §. 32-43.) in viridi sunt observantia, eaque a regibus confirmata¹⁾, agnoscit usus fori per tot saecula

¹⁾ Cfr. Hauptrecess zwischen dem Rathe und der Bürgerschaft der Stadt Stade, aufgerichtet am 25. Jan. 1606, vid. SCHLICHTHORST Beyträge zur Geschichte v. Brem. u. Verd. T. I. p. 303-351. Cfr. Additional-Vertrag aufgerichtet 1607, vid. eod. p. 331-359. Cfr. Fundamental-Recess zwischen der Krone Schweden und der Stadt Stade d. 5. Febr. 1652, vid. SCHLICHTHORST l. c. T. II. p. 54-70. Cfr. Der Stadt Stade Wahl-Recess anno 1672, vid. eod. p. 71-82. Cfr. Gründlicher Entwurf der Stader Verfassung, sonderbarer Rechte, Privilegien, Freyheiten und Beschwerden anno 1716, vid. SCHLICHTHORST l. c. T. III. p. 1-138. cum XIV. additamentis.

cula conservatus. Itaque inter civitates, quae antiquam illam consuetudinem ad hunc usque diem incorruptam servarunt, patria nostra non postremo loco recensenda videtur. *Attamen etiam hic jus Romanum, Germaniae legibus pestiferum, in forum receptum multum immutavit deformavitque.* Quare non ignoro me duram et difficilem suscepisse provinciam; statuta quidem saepissime rem ita exponunt, ut de eorum sensu dubitare non liceat, sed statutorum interpretes certa nunquam principia secuti sunt. Mox jure Romano, mox falsis principiis innisi, quae de communionem bonorum sibi finxerunt, in statuta intulerunt, quae ab iis exulant. Pro virili tamen civibus meis genuinam legum patriarum indolem, usu fori et sententiis saepissime immutatam, ante oculos ponam *).

§. 50.

Et primo loco dispiciendum est, quae conjugum conditio sit, dum matrimonium inter eos subsistat. Pauca tantum de illa statuta nostra adnotaverunt; nihil enim desiderari visum est in statutis, quum hoc ubique a jure communi penderet, quod in causa fuit, cur in aliis legibus particulare fusior ejusdem materiae explicatio itidem frustra quaeratur. Quod igitur de juribus conjugum durante matrimonio, in statutis expressum non invenimus, ex illis explicare oportet,

*) Domino LÜBBREN urbis Stadensis Syndico doctissimo, de patria optime merito et Domino SCHÜNEMANN Magistratui Stadensi a Secretis, Viro doctissimo et consultissimo, gratias ago quam maximas ob praestantissima praesidia, quibus larga manu me juvenem rogantem instruxerunt.

tet, quae obtinent secundum art. 45. L. I. et art. 45. L. III. Spec. Saxonici. Hoc interpretandi principium non solum firmari potest, earum regularum natura, quae speculo Saxo-nico habentur; quid enim aliud illae sunt, nisi regulae in universa Germania, vel si quis de hac re dubitet, in uni-versa tamen Saxonia, juris communis loco observatae? Sed quod magis est, nititur etiam illud principium intimo nexu, qui inter speculum Saxonicum et nostra statuta intercedit (supra §. 40.) a nobis probato. Matrimonio itaque contracto, maritus omnia bona uxoris secundum nostra statuta in suam recipit tutelam. Quaeritur utrum matrimonium et consum-matum esse oporteat, ut eam vim habeat. In statutis nus-quam hoc requiritur, ut omnes inter conjuges intercedant matrimonii effectus. Itaque crediderim, consensum matrimo-nialem legitime declaratum, ad maritalis potestatis inducen-dos effectus sufficere; thalami autem consensionem nullo modo requiri. Si itaque alteruter conjugum post benedictio-nem sed ante consummatum matrimonium morte praematurum abriperetur, matrimonium omnem tamen habere vim oportet, quam statuta illi tribuunt ²⁾, nisi pactis antenuptialibus aliud quid inter conjuges introductum esset.

§. 51.

Liberam ea pacta ineundi facultatem statuta ipsa con-jugibus relinquunt, sed praescribunt, ne fiant illa, proximis cognatis nescientibus vel contradicentibus; attamen intra an-num

²⁾ Cfr. Stat. Stad. Lib. II. c. 9 et 11. pr. cfr. SCHERER l. c. I. p. 37.

num et diem pactum convalescere jubent, proximis cognatis praesentibus, nec contradicentibus ³⁾. In arbitrio igitur conjugum positum est, utrum moribus civitatis se conformare, vel pactis antenuptialibus aliud statuere malint. Omnia bona sibi invicem communicare et contra omnem communionem excludere possunt ⁴⁾; publicationem tamen et iudicis confirmationem in talibus pactis requirendam esse, putaverim, ne quis, pactis conjugum detrimentum capiat. Qua non facta doli exceptione repelli posse uxorem, credo, quae ex tali pacto facta mariti impugnare studeret in detrimentum creditorum; hi ex legum auctoritate uxorem illis teneri supponere debuerunt, ut itaque dolo ea fecisse videatur, quae mutatam esse ejus conditionem publice enunciari non curaverit. Pacta nuptialia, quibus communio bonorum sive plane excluditur, sive restringitur, sive omnia bona mariti administrationi subijciuntur, regulariter ante nuptias conficiuntur, attamen nihil obstat, quo minus conjuges etiam initio matrimonii et durante eo, libera gaudeant facultate, communionem pactis tollendi et aliud quid denuo stipulandi. Verum et tum publicatione

³⁾ Argumento L. II. c. 8. Stat. Stad. So wor ein man vnde ein urowe sint dhe ere goet to samene gheuet. vnde se nene kinder ne hebbet. vnde ne wedherspreke dhe gift nummende. binnen jare vnde daghe. dhe gift scal to rechte stede wesen. It ne si also dhat de nagesten vrint buten landes sint. vnde dharmede ne hebbet se ere claghe nicht uerloren. so we auer de gift bispraket. dhe scal se binnen jare vnde daghe vnstede maken.

⁴⁾ Cfr. SELCHOW elementa jur. Germ. ed. VIII. L. II. §. 349. LANGE l. c. Hauptst. II. §. 3. Cfr. SCHERER l. c. T. I. §. 44.

licatione et magistratus auctoritate opus erit, pro re nata. Si vero conjuges nihil de hac re stipulantur, patet in quocunque matrimonio legitime contracto, omnes potestatis maritalis effectus post benedictionem sacerdotalem obtinere.

§. 52.

Statuta nostra cives tantum, jurisdictioni magistratus subjectos obligant, horumque jura tantum exponunt; facile itaque patet, illos effectus potestatis maritalis inter hos modo locum habere, non vero inter officiales regios, ceterasque personas, jurisdictioni magistratus non subjectas⁵⁾. Ad locum matrimonii consummati respiciendum caeterum non est, si quaeratur, utrum effectus potestatis maritalis ex statutis nostris obtineant, quia a domicilio mariti pendent⁶⁾. Si itaque civis Stadensis, qui Stadae domicilium fixum jam habet, extra civitatis territorium matrimonium contrahat, nihilominus omnes effectus potestatis maritalis id inducet, qui obtinent inter cives Stadenses. Mulier vero Stadensis, si viro nubat, qui domicilium fixum habet in loco, ubi nulla inter conjuges obtinet communio, neonupti, quamquam Stadae nuptias celebrarunt, secundum eas vivent leges, quae in domicilio mariti valent. Sed si conjuges e loco, in quo nulla inter conjuges obtinet communio, magistratus Stadensis jurisdictioni subjiciantur, videndum est, an domicilii mutatione inter eos Stadensia jura respectu bonorum obtineant nec ne. Plurimi
fere

⁵⁾ OESTERLEY hannoverscher Procefs. T.I. §.119. Cfr. MASCOVII notitia juris et judic. Brunsv. Luncb. P.3. §.28.

⁶⁾ MEISTER praktische Bemerkungen. T.I. obs.4.

fere doctores hoc negant, quia verisimile non sit, conjuges domicilii mutatione, communionem bonorum inter se introducere voluisse. Sed affirmandam esse quaestionem crediderim, *quatenus de jure creditorum* agitur, facientibus ad hanc sententiam formandam iisdem rationibus, quas supra (§. 51.) adtulimus, ubi de vi pactorum antenuptialium disputavimus. Dubium magis videri potest, utrum et ea jura immutata haberi possint, quae inter ipsos invicem conjuges intercedunt; et negaverim hoc, quum pactis dotalibus illa nitantur; affirmaverim, quum sola legis dispositione, quae pactis expressis immutata non est; pacto enim tacito, uti tradunt, cur confirmata ea haberi possit, non video. Objici posse videtur, hoc tamen in contractibus observari, ut domicilio mutato conventio ex legibus dijudicanda sit, quae in pristino domicilio locum habuerunt; sed matrimonium, quamvis contrahatur consensu, contractus tamen jurè aestimari nequit *). Contrarium a multis defendi non ignoro.

§. 53.

Durante matrimonio jura mariti et uxoris sollicite distinguenda sunt. Marito competit vi potestatis maritalis administratio omnium bonorum, tum priorum, tum eorum, quae

*) Ita de hac re mecum sentit Preussisches Landrecht. Pars II. Tit. I. §. 352., quod ex celeberrimorum JCtorum sententiis confectum esse puto. Cfr. STRUBEN rechtliche Bedenken. Tom. IV. Beden. 70. Cfr. SELCHOW neue Rechtsfälle. T. III. N. 10. Cfr. HOMMEL Rhapsodia. T. VI. obs. 770. Cfr. RUNDE Grundsätze des gemeinen deutschen Privat-Rechts. Ed. V. §. 609.

quae uxor in matrimonium intulerat. Maritus enim uxoris est legitimus tutor et in iudicio ejus personam repraesentat. Attamen jura mariti non derivanda sunt ex communiōe bonorum, sed ex *mundio* quod secundum jura Germanica cum quolibet matrimonio conjunctum erat ⁷⁾. Itaque durante matrimonio maritus et uxor unam eandemque repraesentant personam; jura et obligationes personae morali competunt, quorum administrator maritus est, id quod tutelae naturae et indoli consentaneum est. Si quis inde colligat, eam ob causam ex statutis nostris bonorum communiōem universalem et quidem irregularem inter conjuges locum habere, eum magno errore captum esse contendo. Majores nostri saeculo decimo tertio statuta emendantes et augentes, theoriam illam de communiōe bonorum artificiosam plane ignorantes, ea literis consignaverunt, quae per totam Germaniam obtinuerunt. Bona quidem mariti administrationi subjiciuntur, sed nusquam in statutis nostris declaratur, bona mariti et uxoris pro uno eodemque patrimonio utrobique confuso habenda esse, e contrario distinguitur inter bona mariti et uxoris ⁸⁾.

§. 54.

⁷⁾ Cfr. EICHHORN Rechtsgeschichte. T. II. §. 351.

⁸⁾ Argumento cap. 6. Lib. III. So we sinen sone ofte sine dochter vutgift mit bescedheneme gode. vnde sinen sone ofte siner dochter mit ereme voremunde ghenoghet. oppe dhe tiht. vnde men dhat tughet mit goden luden. se scolen dharmede besitten. al wares min ofte mer. dhan in to horen mochte. vnde so we in dhen weren blift. dhe scal hebben al dhat andere goet. dhat dhar bouen is. *sines vader vnde siner moder.*

Mariti administratio limitata est jure uxoris; ea itaque contradicente, ejus bona neque vendere, neque alio modo alienare potest, quod statutorum verbis probatur⁹⁾. Quum in statutis generaliter omnis alienatio bonorum hereditariorum sine heredum consensu vetita est, ne marito sua quidem bona hereditaria alienare competit, nisi urgente necessitate ad hoc coactus sit¹⁰⁾. Sed illa alienationum restrictio, quae olim per totam Germaniam obtinuit, nunc fere ubique in desuetudinem abiit¹¹⁾. Secundum usum fori et consuetudinem civitatis marito et apud nos jus alienandi fundos uxoris competit ejus consensu, etsi minoris aetatis ea fuerit, ita enim judicatum est in causa Beneke et Michaelis anno 1769. Itaque dubitandum non est, quin et vi potestatis maritalis omnes transactiones de bonis uxoris a marito factae, validae sint¹²⁾. Sequitur porro marito vi potestatis maritalis jus tribui, hereditates uxori delatas acquirendi, quia in iis locis, ubi

⁹⁾ Argum. cap. 16. Lib. I. Wert ener vrowen erue mede gheuen also men se to manne gift. ofte wert mit ereme gode erue koft. that erue ne mach ere man nicht setten ofte nicht sellen. ofte nicht uplaten *ane ere iawort. unde ere wulbort.*

¹⁰⁾ Argumento cap. 4. Lib. I. in medio. Alsodan erue also hir bescheten is, that ne mach neman versetten ofte versellen *ane erue lof.* it ne si also that it eme not do. etc. Arg. cap. 9. Lib. II. in fin. It ne ware also. dhat it *erue goet* ware. dhat ne mach neman gheuen *ane erue lof.* Argum. c. 2. L. III. fin. Mer *erue goet* ne mach neman gheuen *ane erue lof.* —

¹¹⁾ EICHHORN l. c. T. III. §. 451.

¹²⁾ MEVII Decisiones ed. HOEPFNER. Vol. I. P. IV. dec. 32.

ubi maritus curator uxoris legitimus habetur, ejus mandato non opus est ¹³). Ita etiam pronunciatum est in causa Joh. Waller uxoris nomine ct. C. Albrecht tutoris nomine in pto. hered. div. anno 1777. Sed beneficio in integrum restitutionis uxori minori succurrendum erit, si pactis mariti laesa sit. Statuta ipsa denique sanciunt, ut maritus qui male negotia uxoris gerat, administrationem bonorum amittat, quia civitatis multum interest, bona uxoris sarta tecta manere ¹⁴). Quo igitur facto, inter conjuges communis illa rerum possessio finitur, nec maritus ex bonis uxoris alimenta poscere potest, nisi ex propriis bonis ali non possit. Ita etiam judicatum est a judicio urbano, quod Stadae de rebus ecclesiasticis respondet, in causa civis Meyer ct. ejus uxorem in pto. divortii anno 1784. Maritum autem semper obligatum esse censeo ob statutorum verba, ad alimenta uxori praestanda,

§. 55.

Jam dispiciendum erit de diversis bonorum generibus, quae in statutis nostris occurrunt. Bona hereditaria (eruegoet),

¹³) PUFENDORF observ. jur. univ. T.I. obs. 12.

¹⁴) Argumento cap. 10. Lib. II. So wor ein man is dhe sin wif ouele handelet ane ere scult. vnde dhat witlic is dhen nagheburen. vnde goden luden. vnde dheme rade. de man scal sines godes vnweldich wesen. Ware it och der urowen scult. dhe man scal dhe urowen an eine kameren sluten. vnde gheuen ere notdorft. al wante se ereme dhinghe rechte deit. Confr. WEYERI Comment. de commun. bonor. P. I. thes. 23. LANGE l. c. Hauptst. VII. §. 4.

goet), quorum alienatio, sicut antea demonstravimus, restricta est, ea sunt, quae quis hereditate vel conjugis, vel parentis, vel cognati acquisivit ¹⁵). Quae definitio sententia summi tribunalis Cellensis quodammodo arctius definita est in causa viduae Adami nat. Schulz et consortium et. Joh. Schulz in pto. hered. anno 1816. Secundum hanc sententiam omnia ea bona hereditariis accensenda sunt, quae immobilia sunt infra civitatis territorium sita, si defunctus ea vel ante matrimonium, vel durante illo, eo modo acquisiverit, ut vel heres necessarius alteri existeret, vel testamento, vel ab intestato, ab aliquo cognato illa acceperit, itaque etiam ea, quae a patre ad eum pervenerunt, si jam pater ejus a parente, vel a cognato quodam, vel testamento, vel ab intestato ea accepisset, dummodo defunctus ea subtrahere non potuisset heredi, quia bona ea possederat tamquam bona hereditaria. Ea autem huc non pertinent, quae defunctus acquisiverit vel donatione, vel testamento extranei, neque ea, quae sita sunt extra territorium civitatis Stadensis. Sed illa sententia non comprehendit naves, quae secundum statutorum verba fundis seu bonis hereditariis omnino sunt aequales; id quod mihi maximi momenti esse videtur ob majorem navium copiam, quas cives urbis patriae possident ^{*}).

Bonis

¹⁵) Argumento cap. 4. L. I. Wor ein man vnde ein urowe erue kopet. thes sint se weldich to gheuende vnde to sellende so weme so se willet. thewile that se beide leuet. So wanso auer erer ein sterft. so het it eruegoet. allerhand erue ofte goet. that enen manne anuallen mach. ofte anuallt uan sinen olderen. ofte uan sinen vrinden that het eruegoet etc.

^{*}) Argumento cap. 9. Lib. I. So wor ein man bi slapender dhet uaret

Bonis hereditariis opponuntur bona mobilia, ut sunt: “varende goet, varende haue, kistenpant¹⁶⁾ cledhere, inghedome¹⁷⁾ et wunnengoet”. De caeteris nihil singulare adnotandum est, sed accuratius definiendum, quaenam sint bona acquisita (wunnen goet)¹⁸⁾. Ea, crediderim, quae durante matrimonio alterutrius conjugis opera, arte, industria, seu fortuna acquiruntur (iis exclusis quae successione deferuntur); non minus fructus omnium bonorum, quae conjuges possident ad matrimonii onera sustentanda hic pertinent¹⁹⁾. Omnia haec bona acquirit matrimonii persona moralis, cujus administrator maritus est, quare etiam libere de illis disponere potest. Ea bona quodammodo vere sunt communia, ut ex his durante matrimonio omnia ea solvi debeant, quae ejus onera haberi possunt; in statutis ipsis

uaret vter stat. wil he sin goet vorsetten. vnde is it varende goet ofte kistenpant. that ne mach he nicht uorsetten sunder uor twen erfhaftighen luden. *Mer erue vnde schepe* scal men uor dheme gancen rade vorsetten.

¹⁶⁾ Cfr. L. I. c. 9. Stat. Stad.

¹⁷⁾ L. III. c. 4. cfr. L. II. c. 3. extraord. Stat. Stad.

¹⁸⁾ L. II. c. 18. So wanne ein man sin dinch berichten wil. he si seec ofte sunt. dhe scal sine scult allererst ghelden. vnde dharna heuet he wolt to gheuen dhor got. vnde sinen armen vrinden. also uele also he wil. vnde dhat scal he gheuen uan sineme wunnenen gode etc.

¹⁹⁾ Dissentit. HAGEMANN Practische Erörterungen T. VI. Erört. 49. pag. 226. et Not. 5. eod. Attamen alia principia quodammodo secuti sunt iudices in causa creditorum civis Severin ct. ejus uxorem.

et communia bona (mene goet) nominantur simul ac alteruter conjugum mortuus est, qua tamen adpellatione ea potissimum ratione venire videntur, quia ex illis omnia debita solvenda sint ²⁰). Attamen non contendo, maritum omnium omnino uxoris bonorum habere administrationem, sed eorum tantum, quae actu in matrimonium intulerat, sicut ex sententiis patet.

§. 56.

Marito universa bona administranti id incumbit, ut onera matrimonii ferat, liberos alat, et dote data in matrimonium elocet, vel subsidio paterno illis succurrat, quum separatam oeconomiam instituant; nusquam autem parentes a liberis cogi possunt, ut bona cum illis dividant; e contrario manifestum est, in solo parentum arbitrio positum esse, an liberos separare malint, nec ne ²¹).

His expositis, proprium nostris statutis id potissimum esse jam adparebit, quod bona conjugum durante matrimonio quoad proprietatem separata intelligantur, quoad usumfructum vero communia. Jura, quae inde utrique competunt, si quis communionem bonorum adpellare velit, concedi hoc potest, si illa intelligatur, quae usufructuariae nomine venit, et ex

po-

²⁰) L. II. c. 9. in med. Mer de scult scal men io to uoren ghelden. uan dheme menen gode. Cfr. L. II. c. 5. in fin. — Cfr. L. II. c. 15. Mer de scult scal men io to uoren ghelden uan dheme menen vnde dheme gancen gode. Cfr. L. II. c. 17. in fin.

²¹) Argumento Lib. II. c. 4. pr. So wor ein man vnde ein urowe to samene sint. vnde in echtschap kindere hebbet. vnde gauen se der kindere welc wt. mit beschedheneu gode etc.

potestate maritali eā derivetur. Quia vero illa bonorum hereditariorum restricta alienatio quodammodo in desuetudinem abiit, et uxor mariti pactis stare teneatur, si quid tutoris nomine gesserit, non dubito, quin maritus vi potestatis maritalis omnia uxoris bona, hereditariis non exceptis, alienare possit ad onera matrimonii ferenda et debita durante eo conflata solvenda. Dubium quidem videri potest, utrum et uxor consensum denegare possit, quod vero eam ob causam negaverim, quia maritus nomine personae moralis ad matrimonii onera sustentanda contraxit. Attamen uxor marito prodigo laesa, auctoritatem et auxilium Magistratus implorare non prohibetur.

Caeterum an liberi ex matrimonio adsint nec ne, durante eo, nihil interest.

CAPUT TERTIUM.

De jure et successione conjugum improlium matrimonio finito.

§. 57.

Soluto matrimonio distinguendum est, utrum liberi existant vel non. Si nulli procreati sint liberi, textus cardinalis qui huc spectat nihil habet dubitationis ¹⁾; nec usus fori per

¹⁾ Argumento L. II. c. 9. So wor ein man vnde ein urowe an
echtscap

per saecula conservatus a primitiva indole multum aberravit, sed antiquam consuetudinem salvam et incolumem servavit; quam ob causam *juris Romani placita hic omnino non consideranda sunt.* Post mortem nimirum alterutrius conjugum, bonorum discrimen quodammodo reviviscit et in eas partes dispescuntur, quas quisque eorum ante matrimonium proprias habuerat. Uxor superstes ea bona praecipiens*), quae in matrimonium illatorum nomine intulerat, mariti praedefuncti bonorum dimidiam sumit; itaque non confert bona sua, quae hoc usque maritus administraverat, sed bonorum

echtscap to samene sint. vnde nene kindere ne winnet. storue dhe urowe. swo uele godes se to ereme manne brochte. dhat scal de man hebben half. vnde dher urowen nageste eruen half. weren ere cledhere wat gheargheret. schadhe erer beidher. storue auer de man. alsodan goet also dhar were. dhat scolde dhe urowe hebben half. vnde dhes mannes nageste eruen half. Mer de scult scal men io to uoren ghelden. uan dheme menen gode. vnde so wat dhar bouen is. dhat scolen se delen ghelic. Ghescut it binnen tein iaren. so scal he dhes wullenkomen mit goden luden. wo uele godes se to eme brochte. Is it och bouen tein iar ghekomen. so scal he it mit sines suluen hant holden uppe dhen hillighen. wat se to eme brochte. Ware it och also. dhat erer twier ein. wat dhor got gheuen wolde. dhat scolde he doen uan dheme gode dhat uppe sine eruen uallen mochte. It ne ware also. dhat it eruegoet ware. dhat ne mach neman gheuen anc erue lof.

*) Id quidem in statutis nostris non expressum est, sed sequitur ex natura negotii; cfr. Stat. Hamb. antiq. L. III. 10. ap. ANDERSON, quo latius exponitur res, Cfr. L. II. cap. 17. Stat. Stad.

norum praedefuncto ante matrimonium priorum eorumque, quae illis durante eo accesserunt, sumit dimidiam ²⁾. Idem obtinet in eo casu, quo uxor ante maritum exstinguitur; intra decennium jurato idem consacramentalibus adiutus bona manifestet, quae uxor in matrimonium intulerit, sui autem unius manu post decennium elapsam.

§. 58.

Si maritus primus decedat ³⁾, heredi ejus proximo bona possidere licet, defuncti hereditatis servandae causa, quare ad viduam improlem intra triginta dies accedere potest et bonorum possessionem occupare, vidua tamen in possessione, quae simul illi competit, non turbata; ejus consilio vidua sepulturam procuret, nullam ille vero ante separationem in bonis habet potestatem. Ita statuta jubent, sed ea in desuetudinem abierunt. Superstes vero nec hodie possessionem retinet dimidiae bonorum, quae cognatis praedefuncti debentur, sed sta-
tim

²⁾ Cfr. PUFENDORF observ. jur. univ. T.I. obs. 86. §. 18. T.IV. obs. 30. §. 1. RAMDOHR jurist. Erfahrungen. T. I. pag. 617. Spec. Sax. L. III. a. 74. HASSE über das Güterrecht, vid. Zeitschrift für geschichtl. Rechtsw. T. IV. coll. 1. pag. 80.

³⁾ Arg. L. II. c. 14. So wor ein man vnde ein urowe sint. vnde nene kindere ne hebbet. sterft dhe man. dhe nageste erue moet wol to dher wedewen in dhat hus uaren binnen dher ersten maneth uerst. dhat he beware dhat goet dhat an eme uallen mach. vnde mit sineme rade scal och de urowe bigraft vnde maneth uerst doen. anders ne scal he nene wolt an dheme gode hebben, it ne werdhe delet na stat recht. Cfr. Spec. Sax. L. I. a. 22.

tim dividere cogitur, nec et usumfructum illius dimidiae capit, donec dividat⁴⁾. Attamen adnotandum esse videtur, conjuges in iis bonis solis sibi invicem succedere, quae jam sibi communicaverant et communicare ita potuerant. Itaque superstes non succedit in ea bona, quae praedefuncti conjugis parens hoc usque possederat, quia praedefunctus bona non communicavit superstiti et communicare non potuit. Liberis enim, vivis parentibus, nisi spes succedendi in bona eorum competit (cfr. §.56.). Id quod non solum ex statutorum verbis manifestum est, sed etiam sententia summi tribunalis Cellensis, anno 1768 in causa viduae Heidritter contra Pohndorf in pto. hereditatis pronunciatum extra omnem dubitationem positum est; qua declaratur, superstitem dimidiam poscere posse, non nisi eorum bonorum, quae actu in matrimonium illata sint⁵⁾.

§. 59.

Hoc modo secundum statuta nostra bonis inter superstitem et praedefuncti heredes divisis, aes alienum solvendum est, ex iis bonis (mene goet), quae inter utrosque dividenda, durante matrimonio acquisita sunt (cfr. §.55.). Quae supersunt, aere alieno deducto, in duas dispescuntur partes aequales, quarum una conjugi superstiti, altera heredibus praedefuncti competit; quo statuta nostra cum antiquissimis conveniunt⁶⁾, aberrant vero a speculis. Attamen illud bonorum

⁴⁾ PUFENDORF l. c. T. IV. obs. 59.

⁵⁾ Cfr. PUFENDORF l. c. T. IV. obs. 58. RAMDOHR l. c. T. I. p. 617.

⁶⁾ Cfr. EICHHORN l. c. T. II. §. 370.

norum discrimen, quod in speculis memoratur, eo tempore, quo statuta nostra conscripta sunt in urbibus mercatoriis in desuetudinem abierat ⁷⁾). Itaque superstes omnium bonorum praedefuncti sumit dimidiam, tam hereditariorum quam acquisitorum, tam mobilium, quam immobilium. Nihil unquam igitur ea ratione statutis nostris cum speculis medii aevi commune fuit. Ex utroque enim speculo quisque conjugum certa bona altero defuncto sibi habere dicitur, maritus alia, alia uxor; divisio bonorum ex partibus quotis omnino illis exulat.

§. 60.

Hoc modo statutorum textus divisionem definit, si nulli unquam matrimonio procreati exstiterint liberi, quem usus fori plane agnoscit; sed de eo casu statuta silent, si liberi ex matrimonio nati ante parentem praedefunctum extincti sunt. Lib. II. cap. 12. quo decernitur, parentum hereditatem liberos, parentes liberorum hereditatem capere, hic considerandum non est, quia liberis in bonis parentum durante matrimonio nullum jus competit. Etiam sobolis procreatio nullos producit effectus durante matrimonio in statutis nostris (cfr. §. 56.). Crediderim itaque, idem esse, utrum nulli ex matrimonio exstent liberi, an liberi ante parentes moriantur; sed aliud obtinet secundum usum fori et consuetudinem civitatis. Conjux superstes, liberis natis, sed extinctis ante mortem praedefuncti, omnia bona retinet, quae durante matrimonio mariti administrationi subjecta erant, salva legitima ascen-

⁷⁾ EICHHORN l. c. T. III. §. 451.

ascendentium. Ita enim judicatum est in causa v. d. Fecht et. viduam Joh. Hilken et tutores liberorum ejus in pto. famil. hercisc. a Magistratu Stadensi anno 1685 et a summo tribunali Wismariensi anno 1695.

Viduam improlem, sed gravidam, heres praedefuncti mariti ad bona ejus dividenda nullo modo cogere potest, sed partum expectare tenetur ⁸⁾).

CAPUT QUARTUM.

De jure et successione conjugum, si liberi exstent.

§. 61.

Morte alterutrius conjugum administratio omnium bonorum superstiti competit et manifestum est ex statutorum verbis, liberis nullum jus competere, quo superstitem ad separationem cogere possint ¹⁾). Sed in superstitis arbitrio ponunt, utrum administrationem omnium bonorum prorogare, vel cum liberis dividere malit. Ne tunc quidem ad dividendum

⁸⁾ Argumento Lib. III. c. 8. Dhat wif ne scal men nicht wisen vut dhes mannes gode dhe kint dreghet: er su dhes gheneset.

¹⁾ L. II. c. 2. So welc man odher urowe kindere hebbet. vnde dher kindere ein deil na erer eines dodhe wtghesunderghet *werdhet*: vnde ein deil in den weren bliuet vngghedelet etc. Cfr. L. II. c. 5 et 17.

dum cum liberis cogi potest, si ad ulteriora vota progredia-
tur²⁾. Nam antequam superstes ad secunda vota transeat,
cum liberis dividere eum posse traditur coram duobus sena-
toribus; postea vero necessarium esse, ut liberorum cognati
praesentes sint, ne separatione laedantur. Quo non
inepte conficias argumento e contrario, liberos nullo modo,
parentem secundo nubentem cogere posse ad bona dividenda.
Attamen aliud nunc obtinet, superstes enim, antequam ad
secunda vota procedat, obligatus est ad bona dividenda cum
liberis. *Communio prorogata*, quam eam conjugis super-
stitis bonorum administrationem, statutorum interpretes ap-
pellare solent, matrimonio igitur superstitis finitur; errant
vero, qui hanc consuetudinem ex statutorum verbis probare
volunt. Antea jam demonstravi, cap. 2. L. II. et cap. 7.
L. III. contrarium innuere. Reliquum itaque est, ut demon-
strem, nec cap. 11. L. II.³⁾ aliquid inesse, quo illa sententia,
probari

²⁾ L. III. c. 7. So welc man delen wil wedher sine kindere.
dhe nen wif ne heuet. ofte dhe kindere under ein suluen.
dhat moghen se wol don uor twen ratmanned. Mer nen
wedewere ne mach delen mit sinen kinderen: na dher tiht
dhat he wif nimt: he ne do dhat to wetende siner kindere
vrinden. vnde dele dhenne mit en to rechte: vnde dhat
sulue scal don dhe wedewe. Cfr. L. II. c. 5.

³⁾ Verba sunt, quae hic pertinent: Vnde geuelle it also dhat
dher kindere welc storue dhe dhar wtghesunderet waren
ane eruen. dhat goet scolde uallen wedher an sine olderen
dhe dhar saten ane gaden. vnde besitten wolde also wante
an sinen ende. wante dhat goet vnghescheden vnde vnghe-
delet was.

probari possit. Agit hic locus de separatione liberorum, alterutro conjugum praedefuncto et convenit fere omnino cum cap. 2. Lib. II. Sed verbis: "dhat goet — ane gaden", sensum falsum subposuerunt ita interpretantes: *hereditas conjugii superstiti venit, sed ea conditione, si in viduitate permaneat*. Mihi vero verba interpretanda esse videntur: *hereditas competit parenti cujus conjux praedefunctus est*; itaque verba: "*dhe dhar saten ane gaden*", eadem sunt ac "*dhe wedewer odher wedewe is*"; et nullo modo mihi persuasum est, iis conditionem viduitatis inesse.

§. 62.

Liberi itaque morte alterutrius parentum, nulla jura adipiscuntur secundum statutorum verba; et patris et matris jura eadem sunt intuitu hujus administrationis. Attamen vidua secundum juris Germanici principia, proximi agnati in administratione, utebatur auxilio, quia foemina sine tutore nihil agere potuit ⁴⁾. In ea re et statuta nostra consentiunt ⁵⁾. Attamen non admiramur, aliam plane verbisque statuti contrariam sententiam in fora nostra irrepsisse, quia omnium fere doctorum unanimes est sententia, conjugem secundo

⁴⁾ Spec. Sax. I. 11. Cfr. EICHHORN l. c. T. II. §. 369.

⁵⁾ Arg. L. III. c. 2. Ein wedewe mach wol mit uoremunde uor dheme rade ane wedersprake gheuen uarende haue etc. Cfr. L. IV. 2. So welc man uoremunt wert wedewen ofte wesen etc. Cfr. L. IV. 3. Noch pape. noch urowe. noch mannes houet dhe benedhen achtein iaren is: ne mach sake uordheren uor rechte. noch antworden etc.

cundo nubentem obligatum esse, ad bona dividenda cum liberis ⁶⁾. Usus fori non solum hoc introduxit, sed ulterius adeo processit; quamquam enim in statutis nostris de poenis secundarum nuptiarum nihil omnino sancitum sit, nihilominus applicandam esse censuerunt constitutionem III. Cod. de secundis nuptiis. Uxor itaque secundo nubens omnium eorum bonorum amittit dominium, quae a marito acquisiverat et ad dies vitae usumfructum retinet; ita enim iudicatum est in causa Freysen ct. Jarken anno 1740; eadem observantia manifesta est ex sententia in causa viduae Allers contra tutores privignae in pto. illatorum anno 1685 ⁷⁾.

§. 65.

Si vero superstes ad secunda vota non transeat, nec hodie a liberis ullo modo, nisi ob malam administrationem, ad bona dividenda cogi potest. Competit illi administratio et ususfructus omnium bonorum, quae nomine matrimonii maritus administraverat. Id quod ex omnibus statutorum capitibus manifestum est. Itaque ex his bonis liberorum educatio, quoad haec sufficiunt et dignitas familiae id exigit a superstite parente est instruenda.

⁶⁾ Cfr. WEYERI comment. de comm. bon. P. II. thes. 8. 9. Cfr. BROKES select. observ. obs. 17. §. 46. Cfr. J. H. BÖHMER de comm. aer. alien. vid. ejus Exerc. ad Pand. exerc. 70. §. 18. Cfr. LANGE l. c. Hauptst. 8. §. 6. SCHERER l. c. T. I. §. 147.

⁷⁾ Cfr. PUFENDORF l. c. T. I. obs. 23. HAGEMANN l. c. T. VI. 49. p. 228.

da. Et quidem tamquam dominus superstes omnia bona possidet, quia necessitatis causa ad liberorum educationem instruendam, omnia bona et immobilia secundum observantiam hodiernam alienare potest. Jus disponendi de bonis communibus post alterutrius conjugum mortem penes solum superstitem esse adparet; liberis vero condominium non competit, quia morte praedefuncti parentis nihil praeter spem adipiscuntur, quam jam antea habuerant. Neque nuptiis, neque separata oeconomia parentem superstitem ad bona dividenda cogere possunt, sed in ejus arbitrio est, an dividere, an omnia bona administrare malit. Sed superstes obligatus est liberis ad omnia ea praestanda, quae poscere possunt; itaque filii impensas in studia et filiae dotem exigunt summo jure, si bona talia ferre possunt. Omnia ea vero, quae liberi testamento, vel industria, vel fortuna acquirunt, sibi acquirunt, non vero superstiti, quia cum eo in nulla sunt communione.

§. 64.

Hoc vero attendendum est ⁸⁾ alterutroque conjugum defuncto, utrum liberi diverso toro procreati adsint nec ne.

Si

⁸⁾ Textus cardinalis qui hic spectat: L. II. c. 17. Heuet ein bedherue man ein wif vnde sint se an echtscap to samene komen: vnde uelle dhat also dhat he kindere hadde bi dher urowen. vnde storue dhe urowe. vnde name he ein ander wif. vnde bleuen sine kindere mit ome vnghedelet. vnde wordhen siner kindere welc mit beschedheneme gode uan ome vutghesunderghet. it ware er he sin latere wif name ofte na: se scolden mit ereme gode besitten, vnde hadde he
andere

Si fuerint, uxor mortuo marito illata praecipiens, caetera bona cum liberis privignis dividit. Dimidiam accipit secundum ipsa statuti verba, si liberos genuit; attamen de eo casu statuta silent, si improlis sit; usu autem fori obtinet, ut ad quartam partem duntaxat admittatur; sic enim iudicatum est in causa der Alberschen Erbtheilung anno 1709^o). In divisione cum pluribus liberis ejusdem tori, vidua tertiam partem totius hereditatis accipit, dimidiam vero, si unus tantum filius ex matrimonio exstet^{1o}). — Attamen ex omnibus fere divisionibus cum liberis seu ejusdem seu alterius tori, manifestum est, uxori superstiti, partem virilem tantum tamquam

andere kindere bi sineme lateren wiue. vnde storue dharna dhe gode man. vnde waren siner ersten kindere welc in dher were vnghelelet vut dheme gode. vnde wolde men dhat goet delen dhat dhar ware. so scolde sin latere wif mit eren kinderen upnemen ere goet dhat su to eren manne brachte. vnde so wat dhar bouen is dhat dhes mannes was: dhat scal su mit eren kinderen hebben half. vnde sine kindere dhe dhar in dhen weren waren half. Mer dhe scult scal men io to uoren ghelden. uan dheme menen vnde dheme gancen gode.

^o) Cfr. PUFENDORF l. c. T. I. obs. 86. §. 19.

^{1o}) L. II. c. 18. verba, quae huc pertinent: vnde so wat na sineme dodhe ouer blift dhes scal hebben sin husurowe dhat dridden del. vnde dhe kindere dhe twe del. vnde ne ware dhar men ein kint. so scal dhe urowe hebben half dhat goet. vnde dhat kint dhe anderen helfte. Is it och also dhat dhe urowe sterft. so scal dhe man dhat goet hebben half. vnde sine kindere dhe andern helfte. *wante he dhat goet erworuen heuet.*

quam portionem statutariam deberi, deductis tamen praeci-
piendis. Ita enim iudicatum est in causa Abbenther contra
viduam Hoenert in pto. hereditatis. Capita 17 et 18. Lib. II.
statutorum itaque in desuetudinem abierunt respectu uxoris.
Sed ex verbis statuti 18 adparet, viduam cum privigno divi-
dentem nullo modo obligatam esse, ut bona sua conferat,
sed illata praecipiens, quartam partem capit, tam ex acquae-
stu, quam ex caeteris bonis mariti secundum observantiam ho-
diernam. Nec privignus poscere potest, ut impensae neces-
sariae ei restituantur, quas pater ejus in illata uxoris fecerit;
durante enim matrimonio omnia bona patris administrationi
subjecta erant, et inde praesumendum est, ex fructibus bo-
norum uxoris factas esse.

§. 65.

Maritus vero, uxore morte sublata dimidiam bonorum
semper capit, nec distinguendum est utrum cum pluribus,
an cum uno tantum filio concurrat. Quo simul manifestum
est, jura mariti vi potestatis maritalis majora esse quam
uxoris ¹¹⁾. Dissentit quidem HAGEMANN ¹²⁾; eadem asse-
rit jura uxoris et mariti esse; itaque verba in fine statuti
18 de ea specie intelliget, si maritus sua bona cum libe-
ris dividat. Mihi vero capite citato ea potius statui viden-
tur, quae modo exposui; prius enim, quo modo hereditas
inter matrem et liberos dividenda sit, definitur, deinde sta-
tutum decernit, morte subsecuta uxoris marito semper dimi-
diam competere, cui in fine adjicitur ratio legis: "wante
he

¹¹⁾ Cfr. L. II. c. 18. in fin.

¹²⁾ Practische Erörterungen. T. VI. Erört. 49. p. 228.

he dhat goet erworuen heuet"; praerogativa igitur exinde ipsi tribuitur, quia bona acquisiverit vi potestatis maritalis. — Secundum hodiernam tamen observantiam, et patri ad secundas nuptias transeunti, pars virilis tantum competit, divisione cum liberis instituta. Ita enim judicatum est in causa civis Hastedt, quum ad secunda vota transiisset anno 1762; bona materna summam 7500 marcarum attigerunt liberis quatuor exstantibus, quintam ille partem est adeptus, quod ex protocollis patet. Attamen pater usumfructum retinet maternorum omnium ad dies vitae, quod judicatum exstitit in eadem causa et in causa Buhr ct. Rieper anno 1777.

§. 66.

His omnibus repugnare videntur capita 6 et 15. Lib. II. Stat. Stad. ¹³⁾, quibus expressum est, liberos diversi tori bona parentum aequaliter dividere, et hoc praecipue in causa fuit ut statutorum interpretes communionem bonorum ex illis

¹³⁾ L. II. c. 15. Nimt ein juncurowe ofte wedewe enen man. vnde tuht kindere bi ome. vnde sterft dhe man. vnde nimt se enen anderen. vnde tuht auer kindere bi dheme. vnde sterft auer dhe man. vnde bleue dhat goet vngheschedhen vnde vnghelete. vnde storue dharna dhe urowe. vnde wolde men dhat goet delen. dhe kindere dhe dhar waren in dhen weren. dhe scolden dhat goet delen ghelike. eres uader vnde erer moder. de enen kindere scoldent hebben half. vnde dhe anderen half. vnde is welc kint wtghegheuen. mit beschedheneme gode. dhat scal mit sineme gode besitten: it si min ofte mer. Dhat sulue scal wesen uan dheme manne dhe twierhande kindere heuet etc. Cfr. c. 6. L. II.

lis deducerent. Causa vero hujus separationis aequalis, nullo modo in communiōe bonorum inter conjuges quaerenda est, sed ex unione prolium repetenda, quae a Germanis inventa est, ne ob separationem vel jus devolutionis introductum, post mortem parentum inter liberos diversi tori, altercationes et lites funestae exorirentur. Quae unio prolium saepissime, si ex diversis matrimoniis exstant liberi, pacto introducitur, inter cives nostros legalis esse videtur. Quodsi itaque conjux binubus, qui in matrimonio priori liberos genuerat, ad secunda vota transiit, et ex hoc etiam matrimonio liberos procreavit, omnia quae exstarent bona ad utriusque tori liberos aequaliter devolvi jubent statuta. — Sed et hoc in desuetudinem plane abiit; causa fuit quod praxis hodierna conjugem binubum ad divisionem cum liberis prioris matrimonii instituendam obstringeret, antequam ad secunda vota transire permissum illi sit; quo igitur jus devolutionis Stadae introductum esse intelligitur. Quamquam vero unio prolium statutaria in desuetudinem abierit, non nunquam tamen pactis civium ea introducitur. Hoc modo itaque antiqua consuetudo peregrini juris placitis abrogata, pactis nuptialibus conservatur¹⁴⁾. Quum vero hodie mere voluntaria sit, cum ipsis liberis et conjuge pacto ineunda est; requiritur itaque et consensus liberorum et si minoris aetatis sint etiam curatorum, nec non iudicis auctoritas et praevia causae cognitio¹⁵⁾.

§. 67.

¹⁴⁾ PUFENDORF l. c. T. III. obs. 114. §. 4. obs. 115. Cfr. RAMDOHR l. c. T. I. p. 617. 752.

¹⁵⁾ LANGE l. c. Hauptst. 8. § 8. SCHERER l. c. T. I. §. 175.

§. 67.

In definiendo jure quo parentes liberis succedunt, et hi parentibus heredes sunt, statuta nostra a jure communi in universum non recedunt¹⁶⁾, nisi quod separatio liberorum effectus singulares habet. Liberis enim omnibus a parentibus separatis, non hi sed soli fratres succedunt¹⁷⁾. Si aliqui liberorum a parentibus separati sint, hereditatem eorum qui separati non exstiterunt, parentes cum liberis non separatis adipiscunt¹⁸⁾. Et liberi a parentibus separati ex eorum hereditate nihil capere possunt¹⁹⁾, ut adeo collationis jure careant, quod iis competeret secundum speculum Saxonicum²⁰⁾. Filii vero, qui a parentibus non separatus, coelebs mortuus est, nulla existit hereditas; inconcinne igitur interpretes statutorum contendunt, portionem ejus imaginariam

¹⁶⁾ L. II. c. 12. pr. Dhe uader ofte dhe moder eruet uppe dhat kint. vnde dhat kint eruet wedher uppe dhen uader, ofte uppe sine moder etc. Cfr. EICHHORN l. c. T. II. §. 373.

¹⁷⁾ L. II. c. 11. in fin. Waren auer alle dhe kindere uan eren uader ofte uan erer moder ghescedhen. vnde delet mit ereme dele. so eruet dhat kint. uppe dhat kint. dhe suster uppe dhen brodher. dhe brodher uppe dhe suster.

¹⁸⁾ L. II. c. 2. in med. Storue der welc. dhe thar wtghesunderghet waren ane eruen. dhat goet scolde uallen uppe dhe oldern vnde uppe dhe kindere dhe in dhen weren sint vnghedelet. Cfr. L. II. 11.

¹⁹⁾ L. II. c. 4. in fin. vnde dhe kindere dhe wtghesunderet sint, scolen mit ereme dele besitten. Cfr. L. III. c. 6.

²⁰⁾ Specul. Saxon. L. I. a. 11. Cfr. EICHHORN l. c. T. II. §. 373.

riam quamdam ipso jure communioni adcrecere. Hereditas avunculi vel patruï et amitæ vel materteræ in stirpes dividitur, non vero in capita, si soli ex fratre vel sorore filii heredes existant ²¹⁾).

CAPUT QUINTUM.

De aere alieno et testamentaria dispositione conjugum.

§. 68.

Matrimonio soluto secundum statutorum verba aes alienum solvendum est, *ex bonis communibus* ("mene goet")¹⁾, id est ex bonis quæ inter superstitem et heredes defuncti dividenda sunt, ideoque communia appellantur. Pertinet hoc proprie ad eum casum, si maritus mortem obierit, is enim, quum personam juridicam conjugum repræsentet, quaeri potest, quis illi heres existat et ad solvendum aes alienum teneatur; uxore defuncta non eadem de aere alieno quaestio moveri potest; quaecunque enim contracta sunt debita, ea a marito solvenda sunt, de herede personæ moralis proprie igitur quaeri non potest, manet eadem persona quæ hactenus obligata fuit; sed quum bona non intelligantur nisi deducto aere alieno, parsque bonorum heredibus uxoris cedat, et hoc casu debita

²¹⁾ Cfr. L. III. cap. I. extraord. Stat. Stad.

¹⁾ Cfr. L. II. c. 5. in fin. c. 9. in med. c. 15. in fin. c. 17. in fin. cfr. Not. 20. ad §. 55. supra.

debita deducenda sunt, ut de quantitate patrimonii dividendi constet (cfr. §. 55. supra). Durante matrimonio maritus vi potestatis maritalis solvere potest quae debet, ex omnibus bonis, quae in administratione habet. Ex statutis eam quidem regulam repetere non licet, si sola verba inspicias; frustra enim in illis quaeres, quod expresse de ea re decernatur; sed ex iisdem rationibus hoc jus marito vindicandum est, quae supra adtulimus, ut jus administrandi, quod ei competit, accuratius determinaremus. Nec igitur distinguendum est, utrum contracta sint debita ante matrimonium an postea, ut igitur, si adversus maritum decernenda sit executio in bona ejusdem, durante matrimonio omnia bona venire possint, quae ab illo possidentur. Uxor vero plane neque contrahere sine consensu mariti, neque alio modo sese vel maritum consensu suo obligare potest; contractus invito marito ab ea initi ipso jure nulli habentur. Finito vero matrimonio, ex communibus tantum bonis solvenda sunt debita, id est ex acquestu conjugali et bonis, quae maritus ante matrimonium propria habuerat, nunc vero communia sunt inter superstitem et praedefuncti heredem²⁾. Uxor ex adversa parte nunc obligata non est ad debita solvenda ex bonis propriis; id quod sequitur ex cap. 7. Lib. II. (cfr. §. 64. Not. 8.) bona uxoris superstitis praecipui, ex reliquorum autem bonorum corpore, debita primum exsolvi, antequam cum liberis primi matrimonii bona mariti dividantur. Quamvis igitur in bona uxoris durante matrimonio executio fieri possit, nullum in ea creditoribus soluto matrimonio jus competit, nisi ipsis expresse pignori obligata sint. Sed maritus semper obligatus

²⁾ Cfr. PUFENDORF l. c. T. IV. obs. 30. §. 2.

obligatus est ad ea debita solvenda, quae contracta sunt stante matrimonio; de illis vero non tenetur, quae bonis tantummodo inhaerent uxoris heredibus restituendis, nec contracta sunt facto suo aliquo intercedente; ea bona ad eum cum suo onere transierunt et cum eodem restituuntur³). —

§. 69.

Haec ex mente statutorum nostrorum deducere licet, sed praxis hodierna rem ita mutavit, principiis communionis bonorum enixa, ut nihil fere ex antiqua consuetudine supersit. Quod praecipue manifestum est ex sententia iudicio appellatorio confirmata, in causa tutorum filiae praedefuncti Kannegiesser contra ejus uxorem in pto. illatorum et portionis statutariae anno 1683; omnia hic uxoris illata ad bona communia referuntur, ex quibus debita solvenda sunt. Usu fori uxor igitur omnibus creditoribus postponitur respectu illatorum, si aquaestus conjugalis et bona mariti ad debita solvenda non sufficiunt⁴). Id quod obtinet non solum in divisione bonorum cum proximo cognato conjugis praedefuncti, sed etiam, si bona dividuntur inter liberos diversi tori. Attamen non omnia uxoris bona creditoribus mariti obligata sunt, sed ea tantummodo, quae actu in matrimonium illata sunt. Ita iudicatum est in causa viduae Heideritter

³) Ita de vi potestatis maritalis mecum sentit HASSE über das Güterrecht der Eheleute, vid. Zeitschrift für geschichtl. Rechtswissensch. T. IV. coll. 1. p. 83 seq.

⁴) Cfr. PUFENDORF l. c. T. IV. obs. 50. §. 3. RAMDOHR l. c. T. I. p. 515.

ritter contra Pohndorf⁵⁾. Itaque et ea bona uxoris huc non pertinent, quae hereditate acquisivit post concursum creditorum mariti motum. His principiis convenienter iudicatum est in causa creditorum civis Severin contra ejus uxorem anno 1817.

§. 70.

Num et immobilia uxoris bona, quae illa in matrimonium intulerat, creditoribus mariti obligata sint, non plane patet. Negandum hoc esse, censet PUFENDORFIUS⁶⁾ et quidem summo jure, si verba statutorum respiciamus; aliud vero mihi obtinere videtur, quum hodie maritus accedente consensu uxoris minoris fundos ejus pignori dare possit; ita enim iudicatum est in causa Beneke contra Michaelis. Si maritus sine heredum consensu uxoris bona immobilia pignori dare potest, cui etiam alienatio inest, sequitur, mariti creditoribus illa obligata esse, si ejus bona et aquaestus conjugalis ad debita solvenda non sufficiunt. Itaque discrimen bonorum mobilium et immobilium respectu aeris alieni non amplius obtinere videtur; quod mihi praecipue eam ob causam persuasum habeo, quia nusquam in sententiis illud discrimen bonorum occurrit.

Quod adtinet ad liberos, distinguendum erit, an separati sint a parentibus nec ne. Liberi a parentibus non separati obligati sunt ad omnia eorum debita solvenda. Id quod sequitur

⁵⁾ PUFENDORF l. c. T. IV. obs. 58. §. 6.

⁶⁾ L. c. T. IV. obs. 30. §. 4.

quitur ex natura negotii pronunciatum est in causa Joh. Borchers tut. nomine liberorum praedefuncti Andr. Albers contra ejus creditores anno 1671. Aliud vero dicendum erit de liberis a parentibus jam separatis, id quod ex statutorum verbis manifestum est ⁷⁾).

§. 71.

Testamenta, antequam jus Romanum in fora Germanica irrepsit, majores nostri plane ignorarunt, itaque etiam ex statutis nostris exulant, nam in cap. 8. Lib. I. cap. 18. Lib. II. cap. 4. Lib. III. et cap. 2. Lib. V. non agitur de veris testamentis, sed de dispositionibus, quae simillimae sunt donationibus mortis causa ⁸⁾. Itaque ex natura negotii statuendum est, quid de hac re obtineat. A communione bonorum universali omnes dispositiones mortis causa plane exulant, quia post mortem alterutrius conjugum dispositione legis vel pacti, omnia bona penes superstitem sunt ⁹⁾. Aliud vero obtinet in iis locis, in quibus durante matrimonio mariti administrationi certa tantum bona subjiciuntur, finito vero eo, in eas partes resolvuntur, quae ante matrimonium obtinuerunt. Huic consequens est, ut quisque conjugum durante matrimonio de iis bonis disponere possit, quae non
perti-

⁷⁾ L. II. 15. in fin. Vnde is welc kint wtghegheuen. mit beschedheneme gode. dhat scal mit sineme gode besitten. it si min ofte mer. Confr. L. II. c. 3 et 4.

⁸⁾ Cfr. EICHHORN l. c. T. III. §. 455.

⁹⁾ SCHERER l. c. T. I. §. 81 seq. T. II. §. 252 seq. LANGE l. c. Hauptst. 7. §. 10 seq.

pertinent ad communionem. Id etiam mihi secundum verba statutorum obtinere videtur ¹⁰⁾. “Wunnen goet” enim est, quod maritus acquisiverat ex bonis, quae durante matrimonio ejus administrationi subjecta erant, itaque verba interpretanda sunt de aquaestu conjugali, qui sicut supra (§. 55.) demonstravimus, vi potestatis maritalis penes maritum est. Aliud vero dicendum est, de bonis, quae durante matrimonio, vi potestatis maritalis communia sunt, quia de his idem obtinet, quod in communi bonorum universali valet; cui consequens est, ut conjuges de his bonis, nisi conjunctim, statutis quodammodo convenienter ¹¹⁾, disponere possint; aliud vero obtinet secundum observantiam fori, quae cuique conjugum, de bonis, quae in matrimonium intulit, jus testamenti factionis tribuit ¹²⁾.

§. 72.

¹⁰⁾ Lib. II. c. 18. pr. So wanne ein man sin dinch berichten wil. he si seec ofte sunt. dhe scal sine scult allererst ghelden. vnde dharna heuet he wolt to gheuen dhor got. vnde sinen armen vrinden. also uele also he wil. vnde dhat scal he gheuen *uan sineme wunnenen gode* etc.

Lib. III. c. 4. Ein urowe mach wol vnde moet wol dhor got gheuen in ereme doth bedde uan eren cledheren vnde uan ereme inghedome: also uele also su wil. also beschedelike ofte su nene kindere ne heuet.

¹¹⁾ Lib. I. c. 4. pr. Wor ein man vnde ein urowe erue kopet. thes sint se weldich to gheuende vnde to sellende so weme so se willet. thewile that se beide leuet etc.

¹²⁾ Cfr. RAMDOHR l. c. T. I. p. 619. in fin.

§. 72.

Attamen neque maritus uxori, neque uxor marito eam partem bonorum subtrahere potest testamento vel alia ultima voluntate, quae illi ex legis dispositione competit, quamquam maritus pactis suis uxorem vi potestatis maritalis obliget¹³). Itaque conjux praedefunctus testamento, neque conjugi improli imminuere potest dimidiam eorum bonorum, quae ipse in matrimonium intulerat, neque conjugi cum liberis ejusdem matrimonii dividendi partem filialem, quae ei competit secundum observantiam civitatis (cfr. supra §§. 57. 64. 65.). Statuta enim sanciant, ne alicui ea detrahantur, quae ex legis dispositione poscere potest¹⁴). Sed conjux renunciare potest portioni, quam statutariam nominare solent, si improlis est; attamen non crediderim, conjugi liberos habenti competere, nisi in favorem liberorum.

§. 73.

Sed in majorem partem, quam superstiti ex beneficio statuti competit, eum instituere potest praedefunctus, si parentibus legitimam salvam, id est tertiam partem patrimonii sui reliquerit. Ita enim pronunciatum est in causa civis Kray ct. v. d. Reidt in pto. annul. testam. anno 1796. Idem obtinet si liberis legitima servata sit; sed eam partem iis parens superstes nullo modo subtrahere potest, quae ipsis morte praedefuncti parentis competit, etsi divisio omissa sit. Ita enim pronunciatum est in causa Dreier modo Winter

¹³) MEVII Decis. P. IV. dec. 32.

¹⁴) L. I. c. 8. Stat. Stad.

ter ct. Johannam Teyn ¹⁵). An testator heredibus bona hereditaria subripere possit, eam ob causam dubium esse videtur, quia maritus, sicut pronunciatum est in causa Beneke contra Michaelis bona hujus generis alienare potest consensu uxoris. Attamen in eorum alienatione mortis causa facta, interpretes medium tenuerunt, ita decernentes: bona hereditaria voluntate testatoris legitimis heredibus subtrahi non posse, sed id quod interest, praestandum esse legatariis ex caeteris bonis testatoris, salva legitima liberorum. Ita pronunciatum est in causa Dreier modo Winter contra Joh. Teyn anno 1791 ¹⁶). Postea vero, anno 1816 sententia summi tribunalis Cellensis verbum "Ervegoet" accuratius definitum est (cfr. §. 55.), quo simul patet, bona hujus generis subripi omnino non posse legitimis heredibus, neque mortis causa dispositione, neque inter vivos. Itaque statutorum summum principium: "*mer eruegoet ne mach neman gheuen ane erue lof*", non in desuetudinem abiit, sed sententiis quodammodo confirmatum est ¹⁷).

Quod formam testamenti adtinet, crediderim, cives Stadenses singulari privilegio gaudere et non obstrictos esse ea forma, quam ubique jus commune desiderat, sed testamentum coram duobus senatoribus confectum validum esse,

¹⁵) RAMDOHR l. c. T.I. p. 618 et 619.

¹⁶) Cfr. RAMDOHR T.I. pag. 619.

¹⁷) Cfr. L. I. c. 4. L. II. c. 9. in fin. L. III. c. 2. in fin.

esse, argumento Lib. V. c. 2. ¹⁸⁾, quod usus fori per saecula conservatus agnoscit ¹⁹⁾.

¹⁸⁾ So wor ein man sin testament beset dhe seec is: vnde an sineme lesten ende leghet. vor twen ratmanned. vnde storue der twier ratmanne en. dhe andere mach wol allene tughen wo dhat testament beset is. ofte was. vnde scal dharmede stede wesen.

¹⁹⁾ Cfr. OESTERLEY Hannov. Proces. T. I. pag. 503.



